

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Animadversiones ad Liberii de S. Amore epistolas
theologicas**

**Schmidt, Johann Andreas
Cyprian, Ernst Salomon**

Helmstadi[i], 1699

urn:nbn:de:bsz:31-102536




Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65720





I. N. I.

ANIMADVER- SIONES

AD

LIBERII DE S. AMORE EPISTOLAS THEOLOGICAS

PRAESIDE

IOANNE ANDREA SCHMIDT

ABBATE MARIAEVALLENSI

S. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE AC
SACRARVM ANTIQVITATVM PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

PATRONO PRAECEPTORE AC HOSPITE SVO
AETERNVM HONORANDO

ERVditorVM DISQVISITIONI SVBMITTET

RESPONSVRVS AVTOR

M. ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS,
FRANCVS.

HELMSTADI.

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.
ANNO M DC IC.

9

ANIMADVER-
SIONES

AD
LIBRUM DE S. AMORE
EPISTOLAS THEOLOGICAS

PRÆSIDE
IOHANNI ANDREA SCHMIDT

ABBATE MANIACALLENSI
S. THEOLOGICAE DOCTORIS EIVSDEMQUE AC

SACRARUM ANTIQVARI
PVELGO ORDINARIO
PATRONO PRÆCEPTORE AC HOSPITE SVO

RECTORVM HONORANDO
TRADITORVM PROPOSITIONI SVBMITTET

RESPONDENS AVTOR
M. FRISTVS SALOMO CYPRIANVS
FRANCVS
HEILBRUNNENSIS

Typis Georg. Wolschenbammii Acad. Typogr.
ANNO M DC IC

7 am Gym 211

✓

2



ILLVSTRISSIMIS
PERILLVSTRIBVS GENE-
ROSISSIMIS

ATQVE

EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS

DOMINIS
SERENISSIMÆ
POTENTISSIMÆQVE
DOMVS BRVNSVICO-
LVNEBVRGICÆ

MINISTRIS STATVS
AC CONSILIARIIS
INTIMIS

DOMINIS SVIS

GRATIOSISSIMIS

EXIGVAS HAS PAGINAS

HVMILLIMO OBSEQVIO

SACRAS ESSE VOLVIT

M. Ernestus Salomo Cyprianus.



ERNESTO SALOM. CYPRIANO

Philosophiæ Magistro clarissimo
amico suo charissimo

S. P. D.

JOH. ANDR. SCHMIDT D.

A Liena non esse mihi videtur a theologiæ foro Neoptolemi vox, qua philosophari sibi dixit necesse esse sed paucis, nam omnino haud placere. Neque enim omnem rationum collectionem divinum numen a rationali creatura abesse vult. Sed nec omnia ad rationis decempe-dam revocanda erunt, nisi ea que supra nos, infra intellectus nostri captum posita esse frustra nobis persuadere velimus. Medii ergo tutissimi ibimus, si paucis philosophemur, revelationem tamen semper respiciamus & ab ea ne latum quidem unguem recedamus. Quo tendit opera tua, CYPRIANE CLARISSIME, eo & meus collineat sermo, quando Liberium de S. Amore, circa sublimiora fidei nostræ dogmata libere nimis philosophantem, in orbitam amice reducere conaris. Genuino docendi discendique habitu cum instructus sis, non potes pati, ut summa misceantur imis vel sacra ex peregrinis deducantur principiis. Sint licet in libera civitate & linguæ & mentes liberæ, in ecclesia tamen stare pro ratione Dei nostri revelatam voluntatem

tatem recte mecum judicas. Hoc ipso autem labore, ab aliis nondum tentato, a te vero feliciter exantlato, satis commonstrasti, quid valeant humeri Tui, siue philosophiæ principia sint excutienda, siue theologiæ effata a prava interpretatione fuerint vindicanda. Scilicet a teneris elegantiores literas, quas ipsum humanitatis vocabulum commendat, sapientiæ studio semper indivulso nexu voluisti junctas, his ornatus theologorum scholas ingressus es & raro hodie exemplo theologiæ scholasticam egregia antiquitatum notitia temperasti. Sed quamvis magna hæc esse videantur, majora nihilominus illa mihi sunt, postquam hæc inter & pietatem, virtutum omnium animam, modestiam morumque elegantiam, quæ Te hucusque omnibus bonis probasti, constans ininitum fuisse conjugium deprehendi. Sic nunc Tibi licebit adire Corinthum & quocunque Te verteris cuncta habebis plana & facilia. Deus Opt. Max. quem sollicitè veneraris, tua exaudiat vota! Non desint faventes Patroni, quorum benevolentia dignissimum te judico, ut tam pulchra studia in Dei gloriam & rei sacræ atque profanæ utilitatem quam diutissime cedere possint! Ita voveo, qui studia tua æstumat & eadem, quantum vires meæ valent, promovere non cessabit. Vale in Domino mi CYPRIANE, vias tuas Deo commenda & perge rem strenue agere. Dabam e museo d. XV. Maji M DC IC.

L. B.

essent, nil, quod sciam, inficiatus est Clericus, ne quidem post editam Pireti epistolam. Cujuscunque autem liber sit, certum est omnibusque notum, bonis eum displicuisse. Novi moderatos Theologos, qui hæreticorum catalogum alioqui haud augent, epistolas esse abominatos. Pireti vero iudicium loco citato hujusmodi est: *In dogmaticis tuis sic desunt veritates solidæ & substantiales, ut non insint nisi vel vanæ de critica minutia & de corticibus rerum observatiuncula, vel errores summe, ut puto, noxii, dum, (in Liberio præcipue) Socinianismi principia, (quædam & pejora) cum suis argumentis, exceptionibus, scripturarum depravationibus, nec non & methodo hæc explicandi ex Grammatica & critica profanisque auctoribus, negata ad hoc & ad virtutes acquirendas Spiritus S. interna operatione, ut hinc videatur ad salutem perinde esse, an quis sit Socinianus vel secus.* Rectene locutus sit vir doctus, iudicare non est meum. Istud saltem his animadversionibus commemoravi, quæ mysteriorum e censu Liberius eliminavit, etiamnum mysteria esse, quod eum haud ægre laturum, confido. Quum enim sibi licere existimaverit, dogmata, quæ orbis Christianus non rimatus sed miratus hucusque est, concutere; non apparet, qui mihi vitio vertendum sit, si ea pro ingenii modulo propugnem: quod sine clamoribus factum fatebuntur, qui hæc serena mente sunt contemplaturi. Voces adhibendæ erant, quas vix ferent aures latinitatis servantiores. Ast poposcit eas negotium sublime ac intricatum. Nihil in epistolis intactum reliqui, quod sit conspicui momenti, nec ab aliis sæpe confutatum. De rebus minutulis vero lites sequendas haud putavi, præcipue in dissertatione academica, cui a brevitate gratia accedit. Vale, Lector, meisque studiis fave.

I, N. I.

Consensus Liberii cum Socinianis.

I.

Errores veterum sæpe suffragiis comprobari, recte annotatum est *Arnobio L. 1. c. Gent.* Sed quum Deus novam consequendæ salutis rationem cum sole cotidie exortam nolit, nosque ad scripturam & doctrinam Jesu Christi voluerit remissos; non inepte concluditur, nullum dogma, quod ad æternam animæ salutem spectare dicitur, novumque nunc est, plausum mereri, sed venire explodendum. Valet sane tunc præscriptio Tertulliana, quæ, etsi veteris doctrinæ examen non tollat, ferre tamen hautquaquam potest, ut novelli homines adversus orbem Christianum insurgant, ac id demum verum esse profiteantur, quod cum sana ratione, id est novatorum illa, sic conspirat, ut admotam ejus decempedam ne tantillum quidem supergrediatur. Insana fuerint capita Patrum, Regum, Principum, fidelium omnium singulorumve, donec hæc lumina explenderent! Ubinam fuit Spiritus, suos in omnem veritatem ducturus? Qui factum, ut Deus gentes christianas tanto temporum intervallo tantis privandas existimaverit doctoribus? Qui factum est, ut divinum codicem nemo salutari notitia legeret ante recentissimos hosce viros? O mentes tergemina felicitate perfusas, quæ sophisticationes hasce, superbientem hanc ac ultra divina oracula sese efferentem rationem oderunt & abominantur! Antiquum teneamus, teneamus quod Apostoli, quod Mar-

A 2

tyres,

tyres, quod ex Scriptura Patres tenuerunt, ut illis circumfluente cœlestium animorum cœtu jungamur. Dicamus cum Tertulliano de Præscript. c. XXXVII. *Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo jure sylvam meam cœdis? qua licentia fontes meos transvertis? qua potestate limites meos commoves? mea est possessio, quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos exheredaverunt semper & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit? igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ.*

II. Atque hæc sollicitius hodie inculcanda sunt, quod eo deventum esse videamus, ut a novitate se commendent sibi que concilient splendorem natæ nudius tertius religiones. Liberius sane nulla alia re sibi magis placet, quam novella doctrina. Ea quum destituti fuerint, Theologi omnes, crucem singulis fixisse ait mysteria, quæ is ivit eversum. Neque tamen existimandum est, ita novas esse Lyberii hypotheses, ut ejus sint prognatæ cerebro. Novitatis laudem non invidebo illis, sed ita, ut pleræque Socinianorum jam contineantur in libris.

II. Hoc ut appareat, certum est, sublata naturarum unione, incarnationis mysterium ita explicatum esse Unitariis, ut sola unio per consensum remanserit. *Jonas Slichtingius a Bukowiek Commentar. Posthum. in Ioan. p. 84. unum, ait, inter se dicuntur, qui inter se uni-*

uniti sunt, & plane consentiunt, unum spirant, quod maxime locum habet inter filium Patri obsequentissimum, & Patrem filii amantissimum. Quo & Christus, Filium se dicens, & Deum illum unum Patrem, haud dubie respexit. Pater autem & Filius unum sunt & dici solent, non quia unus homo sunt, sed quia inter se consentiunt & conspirant. Hoc ergo Christi dictum ad essentiam trahere nugare est. Itaque totum hoc pertinet ad Patris & Filii plenissimum & perfectissimum, sicut in omnibus, sic in servandis oribus, qua de re hic agitur, consensus. Eodem redeunt illa Fausti Socini Respons. ad libellum Jacobi Wueiki ad c. VIII. class. 3. argum. 4. Adde potest Johannes Crellius Comment. in Job. X, 30.

IV. Locum i. Timoth. III, 16. sic exponit Liberius: *Mysterium magnum est, non quod sit in se ἀκατάληπτον, sed quia de eo sine revelatione novi testamenti nunquam homines cogitassent. Ita varia in Scripturis novi foederis mysteria dicuntur, tantum quia latuerunt omnes homines donec revelarentur. Consentit Slichtingius ad h. l. qui & ipse concedit, ante Christi adventum incognitum fuisse mysterium, sed postea per Apostolos manifestatum. Mysteriorum, ait, quae silentur & habentur in arcano, ad notitiam aliorum pervenire non possunt, divina certe, nisi manifestentur. Deus ergo cum manifestum facere vellet tantum mysterium, illud manifestavit per carnem, per homines non tantum mortales, sed etiam infirmos.*

V. Rationes, ob quas p. 22. 23. Christum Dei Filium vocatum vult, totidem verbis occurrunt apud Socinianos, Johannem Ludovicum Wolzogenium Commentar. in Marc. I, 1. Samuelem Przipcovium Hyperasp. c. 1. Johannem Crellium de uno Deo Patr. p. 53. seqq. & in Matth. I. p. 13. Faustum Socinum l. c. resp. ad argum. 1. Slichtingium ad Ioan. III, 35.

VI Verba Psalmi, *hodie genui te*, plane ut Sociniani solent, interpretatur. *V. Socinianus l. c. Crellius ad Hebr. V. & I, 5.* Locum *Joh. XV, 26.* quo processionem personalem Spiritus Sancti probant catholici, Socinianorum verbis pervertit. *V. Slichtingius ad h. l. Faustus Socinus explanationibus locorum, qui ad probandam divini Spiritus Sancti personam a nobilissimo quodam viro allati fuerunt, p. m. 440. Wolzogenius ad l. c.*

VII. Porro uti Socinianorum sententiam, mysterium trinitatis exagitantem, non obstare putant salutis æternæ, etsi facilior sit nostrâ; ita concedit quoque, de Trinitate sententiam non esse hujusmodi, quæ salutis periculum inferat: qua in re consentientes habet Socinianos. Sufficiat nunc *Faustum Socinum* nominasse, qui *Christ. Relig. Instit. p. m. 655.* ad interrogationem, *quid istis tam multis tamen mordicus tenent?* sic respondet: *Modo alioqui ipsi Christo obediant, & charitatem adversus eos exerçant, qui aliter sentiunt, nec præfractæ illis eorumve sententiæ sese opponant, censendum est, errorem istum illis ad æternam salutem consequendam impedimento non futurum.* *C. Wolzogenius Præparat. ad lect. libror. N. T. c. XXXIII.*

IX. Quæ de peccato originis docet, sunt ipsorummet Socinianorum assertiones juxta cum probationibus, & ad Catholicorum argumenta responsionibus. *V. F. Socinus Prælect. Theol. c. IV. Przypcovium & docios ad Rom. V.* Mysterium Trinitatis inde a Platonicis derivandum cum Socinianis ait. *V. Przypcovium cogitation in I. Job. IV, 5.* Nec dissentit *Joannes Clericus Ontolog. c. VIII.*

IX. Longum foret, adduxisse singula, quibus Unitariis adstipulatur *Liberius*, aliorumque novatorum premit

mit vestigia. Ipsam de Trinitate sententiam, etsi fortassis his vocibus abs nemine proposita sit, haud pauci multo ante præluserunt, quam Keckermannus inciperet nugari. Non dico eandem esse illam Keckermanni cum Liberiana doctrinam. Ex illa vero hanc propullulasse, neminem inficias iturum spero. Dixerim præterea, nullam unquam exponendæ Trinitatis rationem magis absurdam fuisse, quam est præsens Liberiana, etsi sat multæ alioqui sint, de quibus egit *Venerabilis D. Præses Ration. in Myster. Trinit. captiv.* Nuper Platoniam methodum repetiit *Arthurus Bury*, vel quisquis est latitudinarii orthodoxi autor, citati libri c. III. ubi personarum in uno Deo Trinitatem, rite explicatam, mysterium esse negat, quum sit veritas Religioni universali communis. *Nec facile uspiam*, inquit, *meliolem Galeno, (non sane Christiano) magistrum invenimus.* Hanc Galeni Trinitatem coluere & excoluere Platonici Dei unitatem pro fundamento immobili, inconcusso, semper retinentes; eam tamen in tres differentias distinguunt, quas hypostases, principia, causas, opifices &c. nuncupant. V. p. 58. Sed ne hæc quidem in recessu quicquam habent.

X. Quum igitur plurima sint, quæ a Socinianis & aliis, qui vetera promiscue spernunt, Liberius hausit, non possunt ea jam commode enarrari. Id saltem animadvertendum est, facere Liberium cum *Benedicto Spinoza*, etiam in iis, quibus hic orbi catholico facturum se ægre speravit. Huc retuleris, quod Christo Politicam, nescio quam, affingit, ut Baptismum & sacram coenam meris ritibus annumerare possit. *Christus*, ait, *qui libenter jam institutis ritibus ac vocibus utebatur, ut sibi animos Judæorum conciliaret. idem voluit fieri ab iis, qui se illum sequi velle profitebantur.* Consentit *Spinoza Tr. de Libert. Philosophand. c. XI. p. 142.* ubi docet, *Apostolos religionem communi*

communi hominum captui ita accommodasse, ut facile ab uno quoque ex animo aciperetur: Apostolos homines ea via docuisse, quam quisque optimam judicaverit: viam docendi, quam unusquisque meliorem judicasset, eligere potuisse: quod religionem, quoad fieri potuerit, hominum sui temporis ingenio accommodaverint. & fundamentis tum temporis maxime notis & acceptis superstruxerint. Non negaverim operose Christum respexisse ad ritus Judæorum, etsi non nisi probabiliter ita credatur. Nullum enim ejus rei vestigium apparet in Scriptura, nec sequitur, si duo idem faciunt, alterutrum id ab altero didicisse. Præterea Gentilium quoque ratio habenda erat, & ob multitudinem, potior ferre, quam Judæorum. Neque tamen videas, Christum illorum sese ritibus accommodasse, ne quidem in disciplina ecclesiastica, tantum abest, ut id fecerit in dogmatibus omnibus Christianis deinceps recipiendis. Et qui potuit Christus baptismi ac sacræ cœnæ institutione eo respexisse, ut Judæorum, pauculorum sane, si cum gentibus comparerentur, animos sibi conciliaret, quum & baptismus & sacræ cœnæ Gentilibus incognita fuerint, atque adeo quod eorum institutio profuisset Judæos conversuris, nocuisset prædicaturis gentilibus. Sane constabat, Judæos Christum crucifixuros, ejusque hostes permansuros, paucissimis exceptis, in quorum gratiam vix instituta existimes, quæ omnes Christianos obligent.

XI. Quicquid autem horum fuerit, sententia, qua Christus in institutione sacramentorum ad Judæorum ritus creditur respexisse, innoxia est ac problematica, quæ tum demum perniciofa fit, ubi ea ad eliminandos effectus spirituales, per sacramenta producendos, fueris abusus. Atque hic scopus est Liberii, ut postea apparebit.

Cap.

Caput II.

Ad

Epistolam I. Animadversiones.

I.

EXpositurus hac epistola unionis hypostaticæ modum Liberius de philosophia scholastica conqueritur, quam hodiernis hæresibus occasionem maxime commodam dedisse affirmat. Hoc in potissimis fidei Christianæ capitibus contigisse, ostensurum se ait, nisi epistolæ id excederet modum: dicturum ergo de sola unione hypostatica.

II. Fatetur autem, Scripturam ita loqui de mediatore, ut modo Dei, modo hominis nomen & proprietates ei tribuat, ac recte hinc colligi, eum esse Deum & hominem simul, divinitatemque cum humanitate fuisse unitam eo modo, ut ex utraque conflaretur persona *θεσύνθετος*, quemadmodum ex mente & corpore efficitur persona, quæ hominis sortitur nomen. Heic subsistendum fuisse scholasticis ait, nec quicquam tunc esse, cur quereremur, cum hoc modo scripturæ & rectæ rationis limites egressi non essent. Ast prærepturos hæreticis cavillandi ansam, addidisse aliquid, quo mentem suam clarius explicatum iverint, ac dixisse, duas naturas in Christo non concurrere ut partes, quæ ex æquo totum aliquod componant; sed universam personalitatem esse in natura divina, quæ humanam naturam sustentet. Rationes scholasticorum eo redire opinatur, quod alioqui, si personalitatem humana natura haberet, duæ forent personæ; vel si personalitas tam in

B

natura

natura humana quam in divina esse dicatur, divinitatem fore ens incompletum, quod absurdum fit scholæ doctoribus.

III. Discussurus has tenebras, ceu vocat, Liberius evicturusque, nihil esse in unione hypostatica, quod mysterii obtineat rationem, primo personam definit cum scholasticis, quod sit *suppositum intelligens*. Suppositum autem id vocat, quod neque est pars neque neque adjunctum alius rei. Idem tradit Joannes Clericus Opp. Philosoph. p. 366. Hinc infert, supposititalitatem hautquaquam esse aliquid internum, quod substantiæ aliquid addat; sed tantum eum substantiæ modum, quo per se sola totum aliquod efficere concipitur, nec ad alterius rei compositionem concurrat. Plane ut Clericus l. c. p. 367. *Quicquid dicant, supposititalitas aut personalitas sunt denominationes externæ; quæ significant potius relationem cum qua ens consideramus; quam quidquam quod rei aliquid addat, si accedat; aut detrahat, si dematur.* Ulterius sententiam suam declaraturus Liberius nam, ait, si concurrat persona vel suppositum esse definit, quemadmodum enim duæ aquæ guttule separate sunt supposita, sed si jungantur, perit illa supposititalitas, quia jam conjunctæ ad majoris guttule compositionem concurrunt. Hæc totidem verbis repetit Clericus citato loco.

IV. His præmissis duo infert Liberius, primo impossibile esse, uti humanitas sit *ἐννοήσιμος* divinitati: deinde vanum esse timorem, ne verbum dicatur ens incompletum. Hæc sunt ejus verba: *Cum personalitas sit mera denominatio externa, si verbum in se consideretur, utique persona est, quia ad nullius rei compositionem concurrat; sed si id species, quatenus unitum est cum humanitate, persona non est, quia ad personæ Θεωρεώσεως constitutionem cum humanitate concurrat.* Erit ergo, inquit, ens incompletum; fateor eo respectu, nec id ullam divinitati imperfectionem adspexit, nihil enim hoc in loco

loco id significat, nisi divinitatem solam personam *θεῶν* constituuere non posse. Sed si ens incompletum significaret ens, cui aliquid ut ad naturæ suæ summam perfectionem perveniat deest, absit sane ut Deum ens incompletum esse diceremus. Tandem verum esse ait, quod negent scholastici, nimirum divinitatem atque humanitatem partes esse æque ad personæ *θεῶν* constitutionem concurrentes: nec hoc modo Deitati imperfectionem tribui putat, quum per se totum perfectissimum constituere posse non negaretur, & distinguendæ sint proprietates mediatoris a proprietatibus Dei. Ut autem de sententia ejus planè constet, subjungit eam Geometrico ordine dispositam, quam deinceps contemplantur, ubi circa ea, quæ hæctenus dixit, pauca monuerimus.

V. Scholasticam philosophicam hæresibus obstricatam esse, non nego. Docuit enim Socinianos, quomodo in quæstionibus mere theologicis abutendum sit principiis rationis materialibus, dum propositiones istas, & in modo & in entitate sua supernaturales, præmissis, quarum utraque philosophica, neutra Theologiæ propria erat, confirmare sæpius allaborarunt, qua de re extant nostratium querelæ, *Joannis Himmellii*, *Adami Tribbechorvii LL. de Theol. Scholast.* *Joannis Musæi L. de usu Princip. rat. in controv. Theol.* aliorum. An autem hæresibus istis annumerare debuerit Liberius doctrinam de unione hypostatica, ut a scholasticis traditur, de eo judicent, qui, quid hæresis sit, norunt & hæc sunt lecturi. Sane si vel maxime Liberii sententia de hypostatica unione vera esset, scholasticorum nihilominus doctrina hæretica non foret. Esset enim nihil aliud, quam ignorantia notionis philosophicæ, scilicet quod haud cognitam satis compertamque habuerint supposititalitatis naturam, qua de quum nil tradat

dat scriptura, non est inter hæreticos annumerandus, qui eam ignorat, si confiteatur, unam esse personam Θεῶν ἑνῶν. Hinc Clericus l. c. p. 370. litem, ait, *non vere scholasticis nolum, propter meras voces, quibus sane licet, prout volunt, utantur; sed iis non uti, hoc in negotio, præstitisset.*

VI. Nec illud etiam negaverim, potuisse doctrinam de unione hypostatica exponi, etsi de humanæ naturæ personalitate, quæ perierit, verbum prolatum sit nullum. Ast quum Nestoriani viderentur duas personas confingere, scholasticorum postea erat istis sophisticationibus, quantum poterant, minutius occurrere, ac de persona philosophari sollicitius. Jam si ponamus, scholasticos personæ notionem explicaturos hallucinatos esse, hautquaquam tamen sequeretur, subsistendum illis fuisse pristinis terminis, quippe quod per hæreticorum imposturas occultosque sensus haud licebat. Nusquam sane notiones personæ, suppositi, hypostasis, invecæ essent, absque unitariorum, si fuisset insultibus.

VII. Hæc ita fateri oportuit. Nun caudem nego, Liberium recte descripsisse suppositum. Quomodo descripserit, vidimus. Sed ut rectius intelligamus, adscribendum est, quid ipsi sit *pars* quid *adjunctum*, quorum in descriptione meminit, quid item *substantia* & *totum*. Partem Clericus l. c. p. 363. esse ait, *quod intelligitur factum, ut alteri rei conjungeretur, quo usus, quibus aptum est, omnes præstare possit. Adjunctum* vocat p. 386. *quicquid adhæret, vel inhæret cuiquam subjecto. Adhærere est ipsi extrinsecus adhærere. Neque tamen putandum est, adjunctum & substantiam ipsi opponi, quum fateatur, adjunctum, quod extrinsecus rei adhæret, esse ejus naturæ, ut possit seorsim esse, quum sit substantia. Substantiam* vocat *id,*
quod

quod per se est, seu subiectum. Totum dicit, cui nihil ad id
præstandum, ad quod comparatum est, deesse censetur, Deum-
que totum vocat.

IX. Non potest jam obscurum videri, traditam
suppositi definitionem meliorem vix esse illa scholastico-
rum. Nam si ea obtineat, nullum suppositum est in hac
rerum universitate, quia quicquid est, intelligitur factum,
ut alteri rei conjungeretur, quo usus, quibus aptum est, præ-
stare possit. Deo excepto nihil sibi sufficit. Mulier non
erit suppositum, quia intelligitur facta, ut alteri rei con-
jungeretur, quo usus, quibus apta est, præstare possit.
Miles non erit suppositum, ob eandem rationem, seu quia
est pars. Ast exercitus Liberio erit suppositum, quia non
intelligitur factus, ut alteri rei conjungeretur, quo u-
sus, quibus aptus est, præstare possit. Quod si suppositum
est exercitus, erit non jam intelligens, sed *suppositum intel-
ligentia*, quod [quid sit, ego nescio, contradictorium esse
scio, & manibus contrecto. Sic Cajus non erit supposi-
tum, si pallio induendus sit. Tunc enim pars est, quia,
ceu loquitur Liberius p. 3. ad alius rei compositionem,
concurrit, nempe ad compositionem palliati. Nec palli-
um suppositum erit, quia & ipsum ad compositionem palli-
ati concurrit. Sed nec palliatus forte suppositum erit,
quia ut ex duobus non eruditus, si jungantur, eruditus non
fit, ita minimum valde obscurum est, qui ex duobus non
suppositis fiat suppositum. Porro Senator non erit suppo-
situm, quia concurrit ad compositionem senatus. Sena-
tus non erit suppositum, quia concurrit ad composi-
tionem civitatis. Non etiam civitas suppositum erit, quia est
pars gentis, seu quia facta intelligitur, ut alteri civitati
jungeretur, quo usus, quibus apta est, omnes præstare
possit. Scio quidem, scholasticis nec exercitum, nec Se-
natum,

natum, supposita dici. Sed formanda tamen mihi hæc
ratiocinatio, ut appareat Liberii descriptionem melio-
rem haud esse vetusta. Si quis etiam dicat, intelligi non
posse, quid scholastici vocent suppositum, sane non minus
miseras ideas formaverit e propositis descriptionibus.
Nam quid quæso est extrinsecus adhærere? Vestis ajunt
est adjunctum, nam extrinsece adhæret vestito. Dixerim
ego, omnis mons est adjunctum terræ ob eandem ratio-
nem & quia est pars terræ. Omne granum in acervo tri-
tici est alterius adjunctum, nam extrinsece adhæret. O-
mnis terræ particula est adjunctum ejus, quod tangit, nam
ei extrinsecus adhæret. Atque si Æneas humeris impo-
situm gestet pygmæum, hic non minus extrinsece adhæ-
ret Æneæ ac pileus vel pallium, estque adeo ejus adjun-
ctum, cui arctissime adhæret. Est adjunctum? non est
suppositum. Non est suppositum? non est persona.
Nam Liberius personam vocat suppositum intelligens.
Quid ergo est pygmæus, si non amplius persona est? O-
mne corpus, alteri corpori admotum, est alterius adjun-
ctum, quia nullum corpus est, quod non alteri extrinsecus
adhæreat. Ergo nullum corpus est suppositum. Sic, ut
progrediar, quid totum sit ignoro, & nova nomina fin-
genda video. Capiamus exemplum. Ut vehiculo nihil
ad id præstandum, ad quod comparatum est, deesse cen-
seatur, requiruntur equi, auriga, & quæ sunt hujusmodi.
Si hæc omnia junctim adsint, adest totum. Sed quomodo
vocabimus illud totum? Nulla vox est toti huic expri-
mendo idonea. Et quia pars est, quod intelligitur factum,
ut alteri rei conjungeretur, quo usus, quibus aptum est, o-
mnes præstare possit, erunt auriga, equi & vehiculum.
partes totius, cujus hætenus non reperio nomen. Si sunt
partes, sicut *alicujus* partes. Sed cujus? da nomen. De
substan-

substantia tantundem novi. Substantiám vocat, quod per se est. Hoc semper dixerunt scholastici. Ast quid est per se esse? Ait: subjecto non inhærere, id est per se esse. Verum quid est subjectum, quid inhærere? Si dicat cum scholasticis, inhærere idem esse, ac extra subjectum, in quo fis, esse non posse, tunc quæfiverim, inhæreatne corpus loco & tempori extra quæ esse non potest? Novi, quid scholastici respondeant, sed alia responsio proferenda est illi, qui scholasticos magnis sermonibus nihil fermocinari arbitratur. Nec sane nodum solves, si cum Cartesianis vocem *attributi* loco *accidentis* ponas, quod pridem animadvertit *Christianus Thomafius*.

IX. Constat nunc, ut existimo, magnis difficultatibus prolatas a Liberio definitiones premi, quod uberior demonstrari posset, si non hinc satis constaret, quid de mysterii hujus expositione deinceps sit habendum. Profecto idea suppositi quum sat evidens non sit, evidentem unionis hypostaticæ notitiam parum videtur promotura. Imo cum supposititalitatem ita delineaverit, Liberius, ut nihil sit in rebus creatis, cui delineatio ista satis respondeat, nemo non intelligit, de supposititalitate divina eum plane nihil cognoscere posse, quum nullum habeat principium cognoscendi. Nam cum ideam supposititalitatis in rebus creatis obviæ male definiverit, fallat necessum est ejus notitia circa subsistentiam divinam, dum inadæquatam eamque in ipsis rebus naturalibus fallentem ideam eo transfert.

X. Nec est, quod dicat Liberius, debere me ideam aliam substituere. Nam is mihi haud scopus est, qui non doceo, sed Liberium minus recte philosophatum esse ostendo. Atque ut hoc nemini non pateat, laudandus mihi est ejus consensus, quo supposititalitatem non nudam deno-

denominationem externam esse, fateri cogitur. Dixerat personalitatem nihil esse præter denominationem extrinsecam, adeoque nihil substantiæ addere, sed esse non ens. Hæc ad Trinitatem refert, quæ ipsi per hoc est trinitas, quod tribus modis cogitat. Quærit autem de his modis p. 27. *estne aliquis ordo inter tres illos cogitandi modos, ita ut alius ab alio pendeat?* ad quam quæstionem respondet: *Cum sint unius ejusdemque naturæ divinæ participes, nullum ab alio pendere aut minorem esse posse concipio.* Heic fateatur, tres modos cogitandi esse divinæ naturæ participes. At tres modi cogitandi sunt tres personalitates, atq; adeo tres personalitates, sunt divinæ naturæ participes. Quomodo nunc hæc cohæreant, dicat mihi Liberius. Numquid non ens, numquid externa denominatio est divinæ naturæ particeps?

XI. Sed hæc annotationibus ad epistolam III. minutius exponemus, ubi de personis divinis disputandum erit. Illud interim certum est, hanc doctrinam difficillimam esse, de qua sunt variæ scholasticorum sententiæ penes *Franciscum Smaresium metaph. Tom. II. Disp. XXXIV.* Ego jam Liberii sententiam totam, retentis autoris verbis, commemorabo. Sic ait: *Ne querantur id nos ab ipsis postulare, quod a nobis exigi nollemus, en accipiant sententiam nostram ordine Geometrico ut omnis vitiligationis præcidatur occasio, dispositam.*

Definitiones.

I. *Cogitatio est quicquid in mente nostra fit cujus consci sumus.*

II. *Unionem hic voco id quo fit ut duæ vel plures res unicum idemque componant totum, quod nulla earum rerum est seorsim, sed omnes earum proprietates collectim complectitur.*

III. *Res*

III. *Res personaliter unitas dico, quando una vel plures totius partes sunt res cogitantes.*

Postulata.

I. *Spiritus sunt substantiæ cogitantes.*

II. *Deus est Spiritus infinitus.*

III. *Res non uniuntur nisi per id, quo inter se conveniunt.*

IV. *Ea inter quæ aliqua intercedit convenientia, uniri possunt.*

V. *Eo arctius res uniri possunt, quo major inter eas est convenientia.*

VI. *Spiritus conveniunt inter se per cogitationem tantum.*

VII. *Duplici tantum modo spiritus possunt inter se personaliter uniri, vel si omnes suas cogitationes sibi invicem manifestas faciant, adeo ut alter alterius sequatur determinationes: vel si inter eos conveniat unicum totum constituere, & velint sibi invicem utriusque proprietates, actiones & passiones tribui.*

VIII. *Major est convenientia inter duos spiritus finitos, quam inter finitum & infinitum.*

IX. *Deo cum sit Spiritus est aliqua convenientia cum spiritibus finitis.*

X. *Nullam modificationem vel cogitationem Deus potest a creatura accipere.*

I. Propositio.

Spiritus per solam cogitationem uniri possunt.

Per 3. postul. res uniuntur per id tantum, quo inter se conveniunt.

C

Sed

Sed per 6. Spiritus conveniunt inter se per cogitationem tantum.

Ergo, &c.

II. Propositio.

Dua creatura arctius inter se possunt uniri quam creatura cum Deo.

Per 5. postulat. eo arctius res uniri possunt quo major inter eas est convenientia.

Sed per 8. major est convenientia inter duos spiritus finitos quam inter Spiritum finitum & Deum.

Ergo duæ creaturæ, &c.

Scholium.

Non video quare nonnulli Theologi crediderint divinitatem cum humanitate in Christo arctius, conjunctam fuisse, quam est mens humana cum corpore; cum infinito major sit convenientia inter duo entia finita mentem & corpus, quam inter Deum & creaturam, quæcunque tandem illa sit. Ideo hanc propositionem, etsi directe scopum non petit, inutilem non fore ratus sum.

III. Propositio.

Deus potest uniri cum Spiritu creato.

Per 4. post. entia inter quæ aliqua intercedit convenientia uniri possunt.

Sed per 9. Deo est aliqua convenientia cum spiritibus.
Ergo, &c.

Scholium.

Quamvis Deus sit ens infinitum & a Spiritibus creatis longe remotum, cum sit ens intelligens, in eo cum mentibus nostris convenit, quod intelligat ac velit. Quantalibet sit inter

ter modum intelligendi ac volendi in Deo & in nobis differentia, est tamen id commune, quod æque ac Deus intelligamus ac velimus. Atque in hoc sita erat maxima pars imaginis Dei ad quam formatus fuerat adamus.

IV. Propositio.

Deus non potest aliter uniri cum Spiritu creato quam consensu unicum totum componendi cum eo, adeo ut utriusque proprietates & actiones & creature passiones toti composito tribui possint.

Per 7. post. duæ tantum possunt esse uniones inter spiritus, quarum prima in eo sita est, ut sibi cogitationes invicem patefaciant adeo ut alter alterius necessario determinationes sequatur: secunda vero in consensu &c.

Sed prior interesse non potest inter Deum & creaturam, quia per 10. postul. Deus non potest accipere modificationem vel cogitationem a creatura.

Ergo Deus, &c.

V. Propositio.

Deus potest uniri personaliter cum Spiritu creato.

Vnio personalis dicitur cum totum constat aliqua ex parte ente intelligente, quod cum cæteris partibus ita conjunctum est, ut totum omnes partium proprietates complectatur juxta 2. & 3. def.

Atqui Deus Spiritus est & cum Spiritu creato conjunctus potest unicum totum cum eo componere juxta VI. postul.

Ergo Deus, &c.

XII. Hæc est Liberiana methodus, cui pro sententia catholica hæc oppono:

C 2

Hypo-

Hypotheses a Liberio concessæ.

I. Secunda divinitatis persona est Spiritus. p. 22.

II. Secunda divinitatis persona est Deus. p. 22.

III. Spiritus uniri possunt per essentiam.

Hypothesin concedit Liberius p. 3. *Deus posset duos homines vel duos meros Spiritus ita inter se conjungere, ut perviret utriusque personalitas, atque in aliam tertiam coalescerent personam.*

IV. Unio naturarum est magis arcta, quam unio per consensum. p. 11.

V. Unionem arctissimam esse oportet, qua fit, ut res unitæ intime communicent omnes proprietates, ita, ut unius proprietates alteri recte adscribantur. p. 12.

VI. Deus potest intime præsens esse corpori. Patet ex terminis.

VII. Quod unitur animæ meæ, id unitur meo corpori. Patet ex terminis.

Conclus. 1.

Fieri potuit, ut secunda divinitatis persona cum anima Christi intime uniretur per essentiam, vi hypthes. 1. 3.

Conclus. 2.

Fieri potuit, ut secunda divinitatis persona intime uniretur cum corpore Christi hominis per essentiam, vi hypthes. 7. 6. 3.

Conclus. 3.

Unio secundæ divinitatis personæ cum Christo homine est arctissima, per hypothesin 5.

Conclus. 4.

Unio secundæ divinitatis personæ & Christi hominis est naturarum, per hypothesin 4. & conclusionem 3.

Con-

Conclus. 5.

Unio illa est personalis. Inter nos conclusio nihil difficultatis habet, quam nec Liberius negare potest. Nam res personaliter unitas vocat, quando una vel plures totius partes sunt res cogitantes. *Def. III.*

XIII. Ita habet mea sententia, plana nullisq; testa involucris, quandoquidem hypotheses Liberius concedit. Ast in ipsius methodo multa sunt, quæ nemo admiserit, si sanam rationem usumve audiat loquendi. Nam, ut de aliis nihil dicamus, definitio tertia *primo* perquam absurda est. Inde enim sequitur, civitatem esse rem personaliter unitam, quod nec usus loquendi admittit, nec, quid sit, capient acutissimi. Quæso quid dicis, quum civitatem seu triginta millia personarum personaliter unita vocas? si personaliter unita sunt, quando una vel plures totius partes sunt res cogitantes, sequitur res entitative unitas vocari, quando una vel plures totius partes sunt entia. At quid est entitative, quid est supposititaliter uniri?

Secundo postulatum VI. falsum est, quum Spiritus essentia quoque conveniant, quam in sola cogitatione haud sitam esse certum est.

Tertio septimum postulatum falsum esse, fassus est Liberius. §. XII. *hypoth. III.*

Quarto postulatum V. est mere dialecticum ac sæpe fallit. Nam tribus circulis multo arctius unitur triangulum in medio eorum, quam circulus, ut quisque videt, qui fenestram adspicit rotundis constructam vitris. Atqui circulus cum circulo magis convenit, quam triangulum.

Quinto postulatum VI. falsum est. Nam ut tantisper admittamus Cartesianam de spiritibus philosophiam, illud profecto certum est, spiritus & operationibus convenire.

Sexto post VII. falsum est, quandoquidem spiritus etiam ita uniri possunt, ut alteruter alteri cogitationes

suas manifestas faciat, nec tamen manifestatio sit reciproca. Itaque, ut ad hypothesin descendam, suffecerit, si Christus homo sequatur determinatione Dei, etsi Deus non vicissim sequatur determinationes hominis.

XIV. Hæc monenda fuerant circa methodum, plane Socinianam. Nunc restat, ut reliqua hujus epistolæ expendantur.

Viderat Liberius, Apostolum I. Tim. III, 16. unionem hypostaticam mysterium manifesto magnum appellasse, seque adeo, dum id neget, contradicturum Paulo. Hoc quo minus fecisse videatur, detorquendam existiamavit, Apostoli mentem. *Mysterium magnum est, ait, non quod sit in se ἀκατάληπτον, sed quia de eo sine revelatione novi testamenti nunquam homines cogitassent.* Verum hæc sunt aperte nugæ. Primo enim res propterea non est mysterium, quia de ea sine revelatione homines nunquam cogitassent, nisi viam lacteam mysteriis annumerare velis, quam sat diu pro meteoro habuerunt mortales. Deinde non fuisset Apostolo dicendum, magnum est, sed magnum fuit mysterium, quod nunc tale esse desit. Atqui suo etiam tempore, quo tot annis prædicatus erat Christus *ὁ εὐαγγελιστὴς*, discrete inquit: manifesto magnum est, (non erat, non fuit) mysterium. Quis diceret, Liberium juvenem esse, quod ante plusculos annos juvenis fuerit?

XV. Æque contorta sunt, quibus ultimo sententiam suam exornavit. Intellexerat, dicturos Catholicos, unionem per consensum non satis arctam esse. Respondet igitur: *Observent eam tantum unionem quæri, per quam liceat proprietates & actiones utriusque nature atque humane passiones toti composito tribuere, quod ut fieri possit, satis arcta est unio consensus. Nam si utraque natura in id consentit, ut nihil ab alterutra fiat vel feratur, quod toti composito*

posito non tribuatur, quid obflare potest, quo minus id fiat?
Hæc nimirum unio consideranda est, ut eæ societates civiles,
in quibus inter partes contrahentes ita convenit, ut quod
fiat ab uno societatis membro, a tota societate, quæ est instar
unius corporis, fieri censeatur. Ast hæc non solvunt obje-
ctionem, ac claudicat profecto simile, ubi minime oportuit.
Nam dum Christus moritur, tentatur, patitur, nihil agit Deus, ex Liberii mente, nisi quod consentit. Sic
inquit p. 128. *Opus fuit duntaxat divinitatem cum Christo
ita uniri, ut vellet Christum suo nomine agere.* Ast in so-
cietatibus civilibus utraque contrahentium pars aliquid
agit. Quod si vero alterutra nihil agat, sed consentiat,
duntaxat, non adscribuntur hujus facinora nude assenti-
enti. Nemo dicet, Carthaginenses fuisse hostem, si ab
Atheniensibus sit ita factitatum, ut Carthaginenses solum-
modo consenserint. Præterea si Carthaginenses cum A-
theniensibus fœdus pangant, nec Carthaginenses Athenien-
senses dicuntur, nec hi illorum nomine veniunt. Neque
etiam dicere possum, Carthaginenses facti sunt Athenien-
ses. Verum de Christo ait scriptura: verbum caro factum
est, quem locum de Christo ipse Liberius interpretatur.
De Christo dicit scriptura: Dominus Gloriæ seu Deus est
crucifixus, autor vitæ est interfectus. Quemadmodum
autem risum debet ac ludibrium, qui principem factum
inquit legatum, cui per omnia consentit; ita arctiorem
unionem requirunt hæ scripturæ phrasæ, quam est illa
consensus. Quis dicat omnem plenitudinem principis
corporaliter in legato habitare, si princeps huic omnimode
consentiat, eumque mittat. Quis Cæsaris Augusti legatum
Cæsarem Augustum vocet? De Christo autem dicitur,
quod sit Deus benedictus in secula, quodque in eo habitet
omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Legatum Batavæ
Rei-

Reipublicæ non memini Rempublicam Batavam fuisse vocatum, nec servum Liberii Liberium. At Christus Deus vocatur multoties.

XVI. Liquet hinc, plus significare locutiones hasce, quam unionem per consensum. Consentiat Liberius filio suo maximopere, non efficitur tamen isthac consensione, ut filius extitisse dicatur, antequam nasceretur. De Christo autem dicitur, quod mundum creaverit, quod ante Abrahamum fuerit, agnoscente Liberio *p. 13.* Verum de Liberii filio nemo dicet, eum librorum auctorem esse, quos ante ejus nativitatem luci exposuit pater. Dicat Liberius, peculiarem esse hujus consensu rationem, qua fiat, ut divina natura Christi societatem contraxerit cum humana etiam actionum præteritarum: respondeo, ubi hoc scriptura dicit? Deinde quomodo hoc fieri potest? Explicandum enim hoc erat illi qui mysterium non agnoscit. Sana ratio mendacem propositionem vocat, qua Christus mundum condidisse dicitur, si non fuit tum Christus. Dici supponit inesse. Agere supponit existere. Cogito, ergo sum, inquit Cartesiani. Capiat ratio Liberiana, quomodo verum sit: filius Liberii adstitit cum Liberius nasceretur. Hoc nemo sibi conceperit, etsi maximam patris filiique consensionem comminiscatur. Itaque quum *p. 107.* dicat Liberius, nulli rei consentiendum esse, nisi adeo evidens sit, ut consensum tuum sine conscientie moribus negare non possis: & porro *p. 244.* illam sectam sequi jubeat, quæ Scripturæ magis adhæret: edocendum erit Liberio, quomodo ea unio se habeat, quomodo agat, qui nondum est, & deinde ubi unio per consensum in scripturis sit commemorata. In tota epistola ne verbulo quidem pro sua sententia scripturam laudat, non omissurus, si eam expertus esset faventem. Concludo caput hoc
verbis

am fuisse vo-
Christus Deus
re locutiones
niam Liberius
thae contien-
ceretur. Di-
rit, quod no-
3. Veni
Chorem etc.
Dicitur li-
em, quo fan-
it cum he-
o, ubi hoc
est? Ex-
agnoscit.
Christus
is. Di-
no, re-
na, quo-
is nat-
m patri-
quum.
elle, nisi
ia mor-
tam se-
idem e-
o agit.
in lecti-
verbo
omni-
in hoc
verbis

verbis *Socratis L. III. Hist. c. XXII. Quomodo in Christo
Deus prædicetur, & quomodo manifeste quidem erat homo,
invisibiliter autem Deus, & quemadmodum utrumque horum
verissimum est, divini quidem Christianorum libri norunt:
Gentiles vero antequam crediderint intelligere non possunt.
Est enim oraculum Dei, quod ita pronuntiat: nisi credideritis,
non intelligetis.* Scilicet quum Christus Deus, Dominus
gloriæ, Deus benedictus in secula, qui creaverit mundum,
qui ante Abrahamum extiterit, appellitetur: & vero sana
ratio assequi haut possit, qui ob consensum Domini gloriæ,
aut Dei in secula benedicti, id fiat: necessum est, ut aliam
unionem, quæ arctior sit, admittamus. Nulla est autem
præter illam naturarum. Rationes pro solo consensu adduci
audio, sed fuitiles. *Christus, inquit, longe arctius cum Deo con-
junctus fuit, quia non ad aliquod tempus sed in perpetuum eam
auctoritatem accepit, nec tantum ad rei alicujus administratio-
nem, sed omnino illimitatam, & ad omnes ejus actiones extensã,
unde sola unio Christi cum Deo personalis dicitur, non vero unio
legati cum Rege.* Mirum, has rationes a viro docto prolatas
fuisse. Numquid duratio personam constituit? Descri-
pserat res personaliter unitas, quando una vel plures totius
partes sunt res cogitantes, nulla durationis facta mentio-
ne. Non video, quid duratio juvet. Conjuges sunt, quam-
primum contrahentes matrimonium licite consenserint,
utcumque consensus mox desinat. Perinde se res habebit
in hoc negotio. Et quorsum illimitata potestas perso-
nam constituat? Esto Regem mihi illimitatam in omni-
bus, eamque nunquam desituram potestatem concedere,
numquid tum unio inter Regem & me fuerit personalis?
Sic certe populus liber & sui juris, qui in regem non ad
aliquod tempus, sed in perpetuum eam auctoritatem trans-
fert, quas is illimitate, nec ad rei tantum alicujus admini-
strationem uti potest, cum rege uniretur unione personali,
quod est valde absurdum. D Cap,

Caput III.
Ad epistolam II.



I.
Dolixa est hæc epistola, in qua contexitur historia collationis duorum juvenum de Patre, Filio, & Spiritu S. ex sola scriptura differentium. Juvenes illi sunt Liberius. Alter illorum Socinianam de Trinitate sententiam sustinet, alter illam Liberii. Quum autem Liberianam doctrinam epistola tertia, deinceps examinanda, exhibeat: Sociniana vero infinitis libris confutata sit; credo me totum hoc perniciosarum hypothesium chaos posse præterire. Sunt tamen nonnulla circa ipsam historiam monenda.

II. Duos juvenes convenisse, atque, ut Liberius refert, de Trinitate disputasse, nemo credit. Nec forte Liberius affirmaverit serio, quum undiquaque pateant ejus verba, phrasæ, periodi, mens. Sane si juvenes ex sola scriptura disputassent, ad Liberianam de Trinitate sententiam haud essent delapsi, quum infiniti Sociniorum, ut Liberius putat, sine præconceptis opinionibus scripturam legerint, nec tamen Trinitatem Liberianam potuerint invenire. Trinitatem personarum ab alterutro e sola scriptura agnitam, Liberio concedendum est p. 44. Sed eam in tribus cogitandi modis consistere, nemo ex sola scriptura addiderit, quum ejus rei nulla inde idea formari queat, sed ex recentiori philosophia hauriatur. Hinc etsi non pauci nec Platonicos nec Scholasticos sequantur, ac ab omnibus præconceptis hypothesibus immunus

munes sint, nunquam tamen triplicem illum cogitandi modum inveniunt, cujus se primum autorem vocat Liberius.

III. Contra sic existimo, si alicui de Trinitate ex sola scriptura iudicandum sit, eum non aliter ratiocinaturum, ac ratiocinantur catholici. Primo invenit Deum esse unum, atque adeo unam essentiam divinam. Deinde legit, tres esse, quibus & nomen & operationes prorsus divinæ adscribantur. Concludit igitur, tres esse, quorum sit quisque Deus. Cum porro gignens & genitus, mittens & missus, realiter differant, inferet, tres illos realiter inter se distingui. Sed quum unus sit Deus, porro concludet, tres illos sic distingui, ut quilibet habeat unam illam essentiam divinam: quod verum esse dicet, quoniam Deus dicit, etsi non capiat modum. De generatione divina dicet cum Gregorio Nazianzeno: *Θεὸς γέννησις οὐκ ἔστιν ἀπόθεν*, quum multa, etiam naturaliter quadantenus cognoscibilia, ignorer. Quot sunt guttulæ maris? quot stellæ? Quod autem revera Deus genuerit filium, non probabit operose, sed sic dicet: Deus revelavit se ut patrem & ut filium, itaque generationem locum invenire oportet. Generatio illa non facta est in tempore, quia *genitus est Deus*: Deus est æternus. Non prætermittet loca *Pf. II, 7. Mich. V, 2.* Tandem cum dicit scriptura, Spiritum Sanctum a Patre *ἐκπορεύεσθαι*, inferet sane, processionem debere Deo dignam atq; adeo ab æterno factam esse. Si quis ita inferat; tutus est de salute sua, quam cum hac nostra sententia consistere posse & Sociniani & Liberius arbitrantur. De Socinianis vidimus *c. 7. n. VII.* Liberius vero *p. 93.* ita scribit: *Dogma exitiale est procul dubio, quando cum eo fides in Deum & observatio mandatorum ejus stare nequit. Eadem non est ratio sententiarum de divinitate Christi & Spiritus Sancti, sive enim*

Christum hominem tantum ad summum gloriae ac potestatis apicem evedum ac Spiritum Sanctum virtutem Dei, sive Christum Deum cum Patre in aeternum benedictum eademque essentia praeditum, & Spiritum Sanctum a Patre distinctam personam esse credas, non minus Dei mandatis pares, non minus ei confidis, quam qui in altera sententia sunt. Quamvis Sociniani Christum non credant esse Patri coaeternum, eum tamen adorant, quia id diserte est a patre mandatum, atque in eum credunt, quia norunt ei omnem potestatem in caelo & in terra a patre esse datam. Qui in contraria sententia sunt, idem faciunt, non amplius, vel minus. Unde concludere est, ista non esse ex iis, quae ad salutem necessaria sunt. Atque haec juvenes Solini sibi accommodare debent, si inter se convenire nequeant, hac in re melius esse $\epsilon\pi\acute{\epsilon}\chi\epsilon\upsilon$, quam quicquam definire, quae nostra sententia est.

IV. Scilicet haec est ingens illa ac solatii plenissima religionis nostrae prerogativa, quod omnes omnino Christianorum sectae fatentur, nihil a nobis doceri aut credi, quod nos salute aeterna excludat, cujus sumus haeredes. Ita docent Latitudinarii, Anabaptistae, Quackeri, Sociniani, Reformati, Pontificii. Etsi enim nonnulli sint, qui, licet non constanter, fidem nostram perniciosam vocent ac salvandis nocituram, reprehenduntur tamen a Sociis. At nos contra e sacris scripturis longe aliter edocti sumus de Socinianis, de quibus nobis hoc loco est sermo susceptus. Nimirum quum non sit nisi unica veritas, ac Deus cultum se velit, uti est: non tantundem erit, an Socinianus sis, an vero catholicus. Neque enim bilingvis est Deus, sed ita se revelavit, ut eum ex scriptura agnoscere satis possimus. Alioqui enim si scriptura non est ita clara, ut quidnam sibi velit, intelligi queat, sequitur Deum aut non potuisse, aut non voluisse sat claram communicare. Non potu-

potuit? non est Deus. Non voluit? quomodo id bonitas ejus admittit, qui ait: hæc scripta sunt, ut credatis. Si Deus pati posset, ut nihil credas eorum, cum quibus, utcumque se habeant, fides in Deum & observatio mandatorum ejus stare possunt, non opus fuissent revelatione. Nam Deo fidendum & mandata ejus observanda esse ratio dicitur & noverunt Gentes. Hinc arctissima consequentia, sequitur, Deum ideo scripturam communicasse, ut inde essentiam ejus ac salutis œconomiam discamus. Quum autem œconomia salutis, quam Sociniani comminiscuntur, plane opposita sit nostræ, alterutram veram ac in scriptura revelatam esse oportet: unde illud porro manifestum est, nostram sententiam sequi, tutissimum esse, quum utrinque concedatur, eam non obesse saluti. Ratio est, quod contradictoriæ hypotheses ita comparatæ sint, ut si una vera sit, altera necessario falsam esse oporteat. Cæterum Theologi docent, quod non est hujus loci commemorare, Socinianorum religionem omnino salute excludere illos, qui eam profitentur.

V. Quod dixi, neminem Liberii Trinitatem in scriptura inventurum, non negabunt, qui rem penitus contemplantur. An autem e re sit Christianæ fidei, homines non viva voce doceri, sed suismet ratiociniis & scripturæ lectioni tantum relinqui, Theologi judicent. Ego id solummodo affirmaverim, ineptum esse ac ridiculum, dicere cum Liberio, juvenes Solinos e sola scriptura sacra disputasse de Trinitatis mysterio, & simul tamen addere: *Prima cura fuit, ne de religionis capitibus inter christianos controversis quicquam audirent aut legerent. Cum hoc præcavisset, eos per aliquot annos Latinam, Græcam, Hebraicam linguam, ita edocuit, ut scripturam & scriptores Ethnicos facile intelli-*

telligerenti. Postea saniori Philosophia eorum ingenium acuit, mentem ab infantiae præconceptis opinionibus liberavit, iudicium firmavit. Nihil fere est Christianorum dogmatum, quod controversiis careat, ergo de Christiana religione noverunt nihil. Sed liberanda tamen mens a præconceptis infantiae opinionibus? Hæ aut ad Christianismum spectabant, aut non? Si prius concedit, falsum est, eos nil quicquam audivisse de iis, quæ inter Christianos sunt controversa, & præterea, vix fieri potest, ut opinio præconcepta evellatur, quin subinde rationem negationis afferas, tuamque adeo sententiam prolusionibus quibusdam firmes. Si posterius admittit, non opus fuit, mentem iis liberari. Fuisse autem juvenes Philosophia imbutos, nimis aperte produnt, modo sanior fuerit. Unde factum credas, quod Liberianam hypothesin alter defenderit, mysteria fidei ad scriptorum Ethnicorum mentem explicaverit alter. Quasi vero tutius sit, mentem philosophia Cartesiana ac Gentilium librorum notitia imbutam ad scripturam afferre, quam doctrinam Ecclesiæ. Nonne sic principium cognoscendi erit philosophia, quæ hypothesin Liberianam inculcat: *nulli rei consentire, nisi quæ adeo evidens sit, ut consensum tuum sine conscientie morsibus negare non possis*, ceu loquitur noster p. 107. Sed non docet sic Paulus, qui hominem sibi relictum haud recipere ait, quæ scriptura profert, sed pro stultis habere. 1. Cor. II, 14. Male igitur Liberio convenit cum Spiritu Sancto. Nam is canonem, quem modo adscripsi, juvenibus primo omnium tradidit, quandoquidem eum *primum in investiganda veritate canonem* vocat l. c. Hac præconcepta opinione deduxit eos ad scripturam, hæcque est eximia illa disputatio ex sola scriptura. Vellem autem ad epistolam priorem, qua Corinthios Paulus beavit, deduxisset, & quidem ad ca-

ad capitis secundi versus ultimos, ubi Spiritu Dei, non spiritu mundi, doctrina Spiritus Sancti, non doctrina mundi, indigere dicuntur, qui intellecturi sunt scripturam sacram, seu τὰ διδασκὰ καὶ πνευματικὸς ἀγίας. Non ratio humana, sed Spiritus Sanctus πνεῦμα ἁγίου. Sequamur ergo Spiritum Sanctum, qui fallere nequit. Neque enim viri prudentis est, sequi sententiam, de qua alterutra litigantium pars, an vera sit, dubitat, si in promptu est ea, quæ utrinque nullum periculum afferre dicitur, etiam ab iis, qui eam impugnant.

VI. Atque ita manifestum est, quam inepte dicatur, Solinos ex sola scriptura disputasse. Sane qui hypothese illa: *nulli rei consentiendum esse, nisi quæ adeo evidens sit, ut consensum tuum sine conscientiae morsibus negare non possis*, infectus est, is scripturam, velit nolit, ita exponendo detorquet, ut ratiunculæ suæ videtur commodum. Itane ratio humana infinitam Dei essentiam, perfectiones infinitas, vias imperscrutabiles, consilia ineffabilia, ridere debebat? Quo raperis, qui ulnula tua non cælum, non mare, sed essentiæ divinæ abyssum emetiri cupis. Valeat resurrectio mortuorum, quæ, seposita scriptura, non est adeo evidens, ut consensum tuum sine conscientiae morsibus negare non possis. Valeant cætera Christianorum sacra, quibus a Paganorum infelici turba distinguuntur.

VII. Sed hæc ita gratis fingenda putavit Liberius. Is enim juvenum habitu incedit. Si hoc neget, spondeo id me probaturum, quod juvenis, qui Socinianos defendit, nil plane attulerit, quod non ante eum docuerint Sociniani, atque adeo mentem ejus Socinianis ideis fuisse infectam. Quod si tamen quis existimet, nonnulla a juvenibus produci, quæ abhorreant a Liberii eruditione, eum rogo,

rogo, ut p. 107. inspiciat, ubi ait: *Concludere est, opinionem nostram non tam a vero abluere ac illi volunt, & recte nos hoc in negotio posse dicere, nostram sententiam ÆQUE ac Socinianorum esse RECTÆ RATIONI CONSENTANEAM.* Nunquam tam absurde locuti sunt Solini, aut Liberius, quum Solinorum personas suscepisset representandas. Binas contradictorias rectæ rationi æque consentaneas esse numquid dixerunt sana capita unquam? De Heraclito id nonnulli retulerunt apud Aristotelem *IV. Metaph. c. III.* Sed respondet Philosophus: *ἂν ἔστι ἀγαθαῖον, ἀπὸς λέγει, ταύτῃ κὶ ὑπολαμβάνειν.* At Liberium id non excusat, qui iudicio reflexo usus recte se ita dicere asseverat.

Caput IV,
Animadversiones ad epistolam III.

I.
Nihil posse definirī de intima mentis nostræ natura, quæ nobis ignota sit, faterur *Clericus Pneumatolog. Sect. I. c. II.* Idem *Sect. III. c. V. p. 134.* docet, ignorare nos modum intellectiōnis divinæ. Verba ejus hæc sunt: *Ante omnia nos profiteri oportet ignorantiam nostram; tantum enim abest, ut hic acutum videamus, ut nesciamus quomodo ad volendum impellatur Deus, quia ejus intellectiōnis modum*

modum ignoramus. Et p. 135. *Quis, inquit, docuit eos, Deum eodem modo agere (loquitur de volitione) quo agunt Spiritus nobis noti, hoc est, mentes humanae?* Mirari itaque subit, qui Liberii anima, quæ seipsam ignorat, & intellectio- nis divinæ modum perspectum non habet, eo prolapsa sit audaciæ, ut modum subsistentiæ divinæ Trinitatisque mysterium in præsentī epistola voluerit declarare, quum tamen rationis sit, ens perfectissimum perfectiori, quam nos, modo subsistere, cogitare, velle, averfari. Sed inseram epistolam omnem, ne in gravissimo negotio quicquam affingere videar Viro docto. Epistola hæc est:

COELIO OPTATIANO.

Lib. de Sancto Amore

S. P. D.

TE cum voluptate legisse apud Amicum binas Epistolas in quarum altera supponens Christum esse Deum Patri coeternum, de Unione Hypostatica agebam, in altera vero Historiam collationis de Trinitate Iuvenum Eleutheropolitanorum narrabam, a Theographo nostro accepi. Et si autem laudem non quæro, & potissimum quidem in Historiolæ narratione Latine vertenda, jucundum tamen est viro laudato, etiam in minimis, non displicere. At simul significavit, OPTATIANE præstantissime, te summopere cupere ampliorem de tribus in Divinitate cogitandi modis explicationem. Priusquam legissem, Collationem illam, S. Trinitatis mysterium (supponendo

E illud

illud ex scriptura probari posse) ea ratione explicari vide-
ram, itaque non opus esse ut ad Solinum meum ea de re
scriberem, putavi; cum praesertim diu tibi esset expectan-
dum ejus responsum ob regionis longinquitatem. Me ergo
accinxi ut desiderio satisfacerem tuo statim ac literas Theo-
graphi accepi.

Inter ea quae iis debemus, qui accurata ac tuta ratio-
cinandi Methodo nos a variis erroribus liberare hoc saeculo
agressi sunt, illud est, meo iudicio, non exiguum, quod nos
docuerunt ea, quae majores nostri ^{antiquissima} mysteria exi-
stimabant, saepe facillima esse explicatu, rectam qua in eo-
rum naturam penetrari potest viam ingressis. Hujus ego
rei exemplum in Dissertatione de *Unione Hypostatica*, illu-
stre, nisi fallor, attuli. Sed non minoris est momenti quod
de Trinitate dixit Claudius Solinus, quodque ego simul cum
illo cogitavi. Mysterium illud quod haecenus Theologis om-
nibus crucem fixit, facile explicatu esse modo recta inea-
tur via, contendimus. Verum antequam id aggrediar, ali-
quid de praconceptis ab infantia opinionibus circa dogma
hoc dicendum esse puto, nisi enim ille exuantur frustra erit
quicquid dicturus sum, quamvis clarum & immotis recte
rationis fundamentis innixum.

Ex quo lugenda circa *PATRIS, FILII ac SPIRI-
TUS S. Divinitatem* orta sunt inter Christianos lites, qui
pro illa pugnarunt, cum ab illis peteretur, qui in unico nu-
mine tres esse possint, nec viderent ipsi qui id fieri posset;
Vt

Ut se se ab adversariorum argumentis tuerentur, brevi
responsione, hoc mysterium esse hominum captum longe su-
perans, nec minus tamen certum cum scriptura id doceret,
dixerunt. Nec certe penitus errarunt, nam eorum saltem
superabat captum qui iis temporibus vivebant, quia eorum
mentes Ethnica Philosophia occæcata, quantumlibet cla-
rum, videre tamen non poterant. At mihi hoc in negotio
Alexandum imitari fuisse videntur, qui cum Gordium no-
dum solvere non posset eum ense secavit; cum hanc illi dif-
ficultatem diluere non possent, eam obiici non debere dixe-
runt, quia res humanum captum superat.

Verum hac responsione sibi fucum fieri questi sunt
adversarii, atque ab illis petierunt, unde constaret hoc esse
mysterium supra captum humanum positum, cum scriptura
nihil quicquam hac de re diceret. Ac sane si ex scripturae
silentio colligere non poterant frustra rem concipi non posse
dici, hoc saltem hinc evidentissimum erat, mysterium illud
esse captum nostrum superans ad salutem necessario credi
non debere. Cum enim scriptura omnia ad salutem neces-
saria contineat, & quidem satis clare ut ab omnibus cerni
queant, mysterii autem illius incomprehensibilitatem,
si ita loqui licet, ne per consequentiam quidem ullus unquam
ex scriptura elicere potuerit, dubium non est quin hac de re
dubitari, imo & contrarium credi possit sine salutis
jactura.

Verum si rem accuratius perpendamus, reperiemus silentium illud scripturae non leve esse praedictum adversus eos qui S. Trinitatem capi posse negant. Nam cum inter omnes constet, qui aliquo iudicio pollent, mysterium illud sub Vet. Testamento fuisse ignoratum, certe si circa illud tanta difficultates essent, ut nunc vulgo creditur, inde procul dubio nata esset inter Apostolos & Iudeos aliqua controversia potius quam circa caetera Religionis Christianae dogmata conceptu facillima. Idque eo facilius contingere debuit, quod dogmati de unitate Dei, quod acerrime temporibus Apostolorum tuebantur Iudaei, Trinitas, prima saltem fronte, adversari videatur. Nullam autem videmus circa hoc negotium litem fuisse, nec Iudaei, qui alioqui magni vitilitigatores fuere, nec ullam disputandi occasionem praeterlabi sinebant, Apostolos *πολυθεῖστα* credere dixerunt.

Maxima, quae inter eos fuit controversia, erat an **IESVS NAZARENVS** Messias esset. Iudaei negabant, & in Apostolos invehebantur quod hominem pauperinum & cruci suffixum Israël Regem ac Liberatorem esse dicerent, de ejus vero aeterna divinitate & unius ejusdemque cum Patre essentiae participatione, ne verbum quidem eos, emisisse, videmus. Legimus quidem Ioannis v. 18. & x. 33. turbas lapidibus voluisse obruere Dominum Iesum, quod se faceret Deum vel Deo aequalem, dum diceret Deum esse proprium patrem suum, vel *ἵ ἐγώ εἰμι* cum Patre.

Sed

Sed primo quid sunt hæc obmurmurationes, præ disputatio-
nibus de justificatione, de cibis licitis, &c. & tamen longe
major erat vitilitigandi occasio. Deinde ista erant impe-
ratorum hominum murmura, si enim Doctorum ea fuisset
sententia, quomodo Apostolos longe majora, quam dixerat
Christus, dicentes tulissent? quomodo maximam disputandi
occasionem prætermisissent in Apostolorum dictis, cum mino-
rem in Christi verbis arripuissent?

Hæc cum ita sint, horum alterutrum fuisse oportet,
vel S. Trinitatis mysterium facile tum conceptu creditum
fuisse, uti iam diximus: vel nullum tale mysterium quale
hodie creditur ab Apostolis fuisse prædicatum, uti volunt
Sociniani. Nisi enim alterutrum fuerit, vix ac ne vix
quidem, eo quo erant ingenio Iudæi a litibus abstinere po-
tuissent. Si Socinianorum sententiam elegeris, omnia plana
erunt, & frustra in explicando mysterio, quod nunquam
fuit, tuo iudicio, laborabimus. Sed quoniam in Reforma-
torum opinionem te jamdudum pedibus iuisse novi, necesse
est fatearis nihil esse hoc in negotio ἀκαταληπτόν, idque cla-
ra, nisi fallor, explicatione verum esse non frustra tibi
ostendemus.

At priusquam rem ipsam aggrediamur, expendenda
est responsio Scholasticorum, qua omnia quæ e ratione petita
adversus Trinitatem torquentur argumenta solvere se posse
putant. Ajunt frustra homines laborare ut concipiant my-
sterium illud, quia de re infinita agitur, nempe Deo quem

finite mentes capere non possunt. Addunt nonnulla esse quæ cum vera esse Geometricis demonstrationibus constet, tamen capi non possunt, quia infinita sunt. Unde sequi putant frustra adversus illa argumenta quæri, quia satis est modo eorum veritas demonstratur, quamvis argumentis contrariis responderi semper non possit, quandoquidem res captum nostrum superat. Argumenta denique omnia illa hoc tantum ostendere, nimirum infinitum a nobis capi non posse, dicunt. Exempli gratia afferunt divisibilitatem materiæ in infinitum, quæ cum demonstratur argumentis, quæ mentis nostræ limitationem tantum ostendunt, frustra impetitur. Similiter, inquit, frustra se torquent adversarii ut reperiant argumenta, quibus ostendant S. Trinitatem capi non posse, cum id ultro iis concedatur quia Deus est infinitus.

Ratiocinium illud circa disputationes de infinito verum esse agnosco, sed nihil ad rem facere contendo. Optimum est cum de re infinita quatenus infinita est disputamus, ut cum de materiæ divisione agitur; sed non potest applicari iis qui aliquam tantum proprietatem rei infinite querunt, non considerantes ejus infinitatem. Nimirum quamvis non capiamus rem infinitam, id non obstat quo minus claram satis ejus ideam habeamus, ut ejus varias proprietates distinctissime concipiamus, quia eas consideramus abstracte, ut ita loquar, ab infinitate. Deus, exempli gratia, infinitus quidem est, sed id non obstat quo minus perfecte varias ejus virtutes cognoscamus, fidelitatem puta & similes, quia possunt ab infinitate abstracte considerari.

Jam ut id rei de qua agimus accommodemus, Trinitatem personarum consideramus non cogitantes de infinitate Dei, ac proinde infinitas obflare non potest quo minus eam concipiamus. Supponit quidem personarum Trinitas essentia divinitatis infinitatem, sed tamen sejunctim ab illa per animi abstractionem

tionem considerari potest. Ita fidelitas Dei eum infinitum esse necessario supponit, nisi enim infinitus esset, aeternae felicitatis promissum praestare non posset, eam tamen ita praecise in se considerare possumus ut de infinitate simul non cogitemus. Hoc ita clarum mihi videtur, ut a nemine negari possit qui non sit disputatione extra rectae rationis metas abreptus.

Sed nae ego te, Optatiane clarissime, inutilibus ratiociniis distineo. Omnia illa evanescent si ostendero quomodo in una essentia tres esse possint personae, si enim mysterium illud clare explicavero, ejus tantopere jactata incomprehensibilitas in auras sponte abibit. Incomprehensibilis non alia de causa habita est S. Trinitas, quam quia haecenus Theologorum omnium scopulus fuit; non quod in se capi non possit, ut ex sequentibus patebit.

Cum legeris Dissertationem meam de Unione Hypostatica, meministi, opinor, quomodo personam defini verim & de Personalitate ratiocinatus sim. Itaque non repetam quae ibi dixi. Cum persona sit ens intelligens quod neque est pars neque adjunctum alterius rei, inde patet ut ens aliquod persona sit non requiri ut essentiam peculiarem habeat, sed ut non sit cum alio conjunctum. Sic mens mea essentiam quidem habet peculiarem & a corpore distinctam, sed tamen persona non est, quia cum corpore conjuncta est, & cum illo unicum totum constituit.

Observandum est praeterea mentem meam ad plurium personarum constitutionem simul concurrere non posse, quia cum sit finita non potest simul plura tota constituere, cum variis rebus unita. In nullo etiam ente finito quod sit persona, ut in Angelo, plures possunt esse Personalitates, quia ejus limitatio non finit ut plura tota in eo simul esse possint. Non potest simul diversam variarum cogitationum seriem capere; unica tantum cogitatione impletur ejus cogitandi, ut ita loquar,
capaci-

capacitas. Itaque unus Angelus non potest esse Michaël & Gabriël simul, non quia unica & singularis ejus est natura, sed quia natura illa, cum finita sit, Michaëlis & Gabriëlis cogitationes simul habere nequit.

Verum res in Deo, qui infinitus est aliter se habet, quamvis unicuique sit numero varias cogitationum series simul efformare potest, variæque proinde in eo possunt esse personæ. Deus certo modo cogitans Pater dicitur, alio Filius, alio Spiritus Sanctus, atque ita recte tres esse personæ in unica essentia dicuntur. Persona est quod neque est pars neque adjunctum alterius rei, Divinitas autem certo modo cogitans quæ pater dicitur, neque est pars neque adjunctum Filii aut Spiritus S. sed per se totum constituit, atque idem dicendum de Filio & Spiritu Sancto. Non requiritur, uti jam dixi, ut ens aliquod persona sit, essentiam illud habere ab omni alio ente distinctam; adeoque nihil obstat quo minus tres sint in unica essentia personæ: satis est modo ea ratione ab aliis sejunctum existat, ut cum illis non concurrat ad totum aliquod constandum, quod cum competat Divinitati tribus variis modis simul cogitanti, recte dicere possumus in ea tres esse personas.

Hæc est mea & Claudii Solini Trinitatis explicandæ ratio, nisi quod ille voce personæ non utitur, quia nesciebat vocem illam eo sensu apud Scholasticos usurpari. De Generatione & Processione Filii ac Spiritus Sancti nihil dicimus, quia, ut vidisti in Iudicio super collatione Claudii & Ioannis Solinorum, nihil de illis habet scriptura. Sunt loca Scripturæ quæ Divinitatem in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum distinguere videntur, sed nulla sunt quæ homini cordato suspicionem dogmatum illorum movere possint.

Si tamen contrarium, ut vulgo fit, crederes & Hypothesi illa nostrâ quomodo Filius sit a Patre Generatus & Spiritus

vitus ab utroque procedat hoc modo explicare posses. Pater
Filium ab omni eternitate genuit, quia voluit Divinitatem
alio modo cogitare, seu aliam cogitationum a suis diversarum
seriem in ea esse; simili quoque ratione Spiritus a Patre & Fi-
lio processit. Hoc longe magis consentaneum est rationi quam
quæ vulgo ea de re dicuntur, sed, meo iudicio, præstat silere
quam cum blasphemandi periculo conjecturis indulgere. Ex-
pende iudicium quod jam laudavi, & futilitatem vulgaris
sententiæ videbis, vel lege etiam Socinianos & Filiationem
illam ac Processionem invidiis confutatam argumentis re-
peries.

His itaque misis ut ad Trinitatem redeam, si illa ex
scriptura probari posset ita clare ut nullum superesset dubium,
allata hypothesis vix esset dubitabilis. Si quod enim discrimen
ponit scriptura inter Patrem Filium & Spiritum San-
ctum, supponendo eos ejusdem essentiæ ab illa participes dici,
id totum situm est in cogitationum varietate, quemadmodum
monuit recte Solinus. Quæcunque enim alia a Scholasticis
afferuntur cordatioribus omnibus Theologis ἀπαντα ταῦτα
ληγες ἢδὲ ἀναπέφθην, καὶ καπνὸς σχολαστικὸς, ἔξω τῶ πατάγῃ
τῶ οἰομάτων.

Quia porro dixi, si quæ sunt in Divinitate personæ, eas
nihil esse præter Divinitatem variis modis cogitantem, dices
forte frustra me aliquid novi allaturum spondisse, illud enim
ipsum esse quod veteres dicebant esse in Divinitate tres ὑπο-
στάσεις seu τρεῖς ὑπάρξεις, sed videntur quid sibi vellent
nescivisse, nedum ut tam clarum ac nos personæ, sensum illis
tribuerint. Et quia id fusioem requirit translationem, idque
ab aliis non male ostensum est, atque inter ceteros a S. CUR-
CELLÆO in dissertatione de vocibus Trinitatis, Perso-
næ, &c. oratione hic persequi non aggrediar. Dabo tantum
F argu-

argumentum quod id meridiana luce clarius ostendet. Si Veteres claras vocum illarum habuissent ideas non existimassent mysterium illud esse ἀκατανόητον, nec eorum posteri, qui responsiones suas ex eorum libris haurire se dicunt, eam opinionem tam acriter tuerentur. Hinc certe vides quamvis vocibus fere consentiamus, magnum inter nos esse discrimen.

Forte etiam Sabellii sententiæ affinis videbitur allata hypothēsis. Verum Sabellius si Veteribus credimus ἰσχυροῦς καὶ ἰδιότροπος confundebat, quod nequaquam fit in Soliniana hypothēsi, in qua tres Divinitatis personæ inter se valde distinguuntur, neque enim cogitationes Patris sunt cogitationes Filii, aut Spiritus Sancti, quamvis nulla sit inter eos dissensio. Exempli gratia, Pater habet Iudicis cogitationes, Filius Mediatoris, Spiritus S. consolatoris, &c. Nec eadem Divinitas modo Filii, modo Spiritus Sancti personam sustinet, ac veluti Luna φάσος patitur, ex Solini sententiâ, ut ex Sabellii hypothēsi, sed simul Pater est, Filius & Spiritus Sanctus, qui tribus diversis modis cogitant. Eæ personæ æternæ sunt atque immutabiles, nec modo a Divinitate induuntur, modo exiuntur, sed semper in ea sunt.

Vides nunc rationem explicandæ Trinitatis quam ego & Solinus vidimus, nequaquam Sabellio favere, si vere exposita est ejus sententiâ a veteribus. Præterea ejus ope franguntur omnia tela, quæ ex rationis armamentario a Socinianis deprompta in Reformatos torquentur, quæ hætenus certe minime vitata fuere. Vnde concludere est opinionem nostram non tam a vero abluere ac illi volunt, & recte nos hoc in negotio posse dicere nostram sententiâ æque ac Socinianam esse verisimilem, & recte rationi consentaneam, uti optime judicavit Lud. Solinus. Sed quandoquidem fateamur oportet, eorum dogma a nostro argumentorum pondere & verisimi-

risimilitudine non multum superari, quamvis in antiquam
sententiam proniores simus, tamen hic debemus *ἐπιχρησάμενοι*, ne exi-
gua verisimilitudine decepti a veritate aberremus. Nec du-
bito quin tu, Doctissime verique amantissime Optatiane, id
tutius judices, quoniam id a te aliis in rebus sancte observari
sæpe vidi.

Certe cum hic sit primus in investiganda veritate Ca-
non, nulli rei consentire, nisi quæ adeo evidens sit, ut con-
sensum tuum sine conscientia moribus negare non possis,
nullibi sanctius observari debet quam in Religionis dogmati-
bus, in quibus sæpe ita periculosum est errare, ut de aeternæ
salutis jactura vel adeptione agatur. Itaque priusquam
quicquam credamus, ita evidenter persuasi esse debemus id in
scriptura esse, ut nullus supersit dubitationi locus. Dubita-
tionem autem cum dico, non intelligo præconceptis opinionibus
occæcati animi scrupulos, qui vel in manifestissima re non de-
erunt, sed sinceri animi & rectæ rationis ductum sequentis le-
gitimis de causis natam hæsitationem. Exemplum illustrius
hujus rei afferre non possem, quam sæpe laudatos Solinos, qui
re accuratissime expensa crediderunt sine temeritate in par-
tes Socinianorum vel Reformatorum iri non posse, quamvis
alter Socinianorum alter Reformatorum verisimiliorem esse
existimaverit sententiam.

Si hoc cogitarent Christiani, non tot essent inter eos tam
acriter utrinque propugnatae lites. Sæpe videas clamantes
suam in scriptura sententiam clarissime contineri, quorum si
argumenta expendas, reperies quidem non absque omni veri-
similitudine ex quibusdam locis elici posse, sed tam exiguam
eam esse verisimilitudinem, ut Levi tantum suspicioni locum
dare possit. At nihil credendum, ut a Deo revelatum, pro-
poni debet, quod in scriptura, non dico verisimiliter, sed certo

ac necessario contineri non constat. Vbi res est vel minimum ambigua, suspendere iudicium debemus, eamque non quasi certam, sed quasi valde verisimilem considerare. Habeant Sociniani & Reformati utrique sententiam suam quantum volent verisimilem, sed eam pro certa non venditent, quandoquidem adversus utramque proferuntur loca quæ vix ac ne vix quidem solvi possunt.

Non est igitur utendum, cum aliquid certo ac necessario probare conamur, locis, ut fieri solet, ambiguis ex quibus non nisi ambigua elici potest consequentia. Nec putandum ex multis, etiam verisimilibus, consequentiis certitudinem confici posse; est illa valde verisimilis quæ iis nititur doctrina sed nequaquam certa. Duo hi canones Scripturarum interpreti perpetuo ante oculos habendi sunt nisi in errorem subinde cadere velit. Certe nullam aliam video causam quæ tot errores pepererit, ac earum Legum negligentia. Lege commentariorum Scriptores Pontificios, Calvinistas, Lutheranos, Socinianos, Remonstrantes, Mennonitas, errorum rivus ex illo fonte manantes ubique reperias. Ex loco ambiguo certam, elicere se posse putant consequentiam, vel ex verisimilibus multis consequentiis indubitatum dogma sese procudisse sperant. Non opus est ut id exemplis ostendam, res enim esset tum magni in exscribendis scriptorum verbis laboris, ac molis quam epistola non capit, tum satis inutilis quandoquidem id experiri unicuique facile est, neque enim tam rari sunt Commentariorum errores, ut multas legere paginas necesse sit uti aliquem reperias. Ita omnes libertate a Deo accepta abutimur, ut passim contra rectæ rationis lumina, iis plenum ac integrum assensum præbeamus quæ minime sunt evidentia; nemo vivit sine hoc crimine; & digni sunt qui felices dicantur ii, quibus hoc rarius quam aliis contingit.

At

At saltem conandum est ut ea felicitate, quam maxima fieri poterit, fruamur; & quando ἀναμάρτητοι ob peccatum esse non possumus, observando traditos canones rarius in errorem incidamus. Hanc te felicitatem, COELI OPTATIANE, adeptum esse gaudeo, & precor Deum ut indies augeat. Vale & sententiam tuam, de hypothese Soliniana queso ne invidas.

IV. Id. Febru. CIO IOC LXXIX.

II. In hac epistola Liberius 1. sententiam suam, quamvis obscurius, proponit, ne verbo quidem probavit. 2. Trinitatis mysterium non amplius mysterii rationem obtinere dicit, si ejus hypothesis assumatur. 3. variis paradoxis receptam ecclesiae Christianae sententiam exosam, reddit. Confutatio igitur epistolam primo proponenda est Liberii sententia. Deinde ostendendum, mysterium ab ipso non modo non explicatum, sed implicatum potius esse, assumtaque ejus hypothesis etiamnum esse ἀκατάληπτον. Tertio paradoxa, & si quae praeterea veritatem convulsum eunt, additis rationibus rejicienda sunt.

III. Sententia Liberii huc redit, esse unam eandemque essentiam Dei, quae simul cogitet ut Pater, ut filius, & ut Spiritus Sanctus, ita, ut haec cogitationes sint a se invicem diversae, constituentque tres personas valde inter se distinctas. Si pater & filius, inquit, non reapse inter se distinguerentur, id aeque nugatorum esset ac illud quod Caesare imperante dicebant, Iulio & Caesare Cosf. p. 25. 27. Concedit porro, Patrem v. g. habere judicis, filium mediatoris, Spiritum Sanctum consolatoris cogitationes. Ait quoque, ut jam monui, cogitationes patris non esse cogitationes filii, filii nec Spiritus Sancti. Quod variae haec atque distinctae cogitationes sint in Deo simul,

simul, itidem clarissime affirmat, quæ omnia abunde elucescunt ex epistola, quam heic exhibendam putavi.

IV. Si quæras, quare Deus certo modo cogitans in scriptura vocetur Pater? respondet epist. II. p. 21. *Tres hujus denominationis reperi rationes. Prima est, quia rerum omnium est creator, quod aliquando voce Pater exprimitur, ut cum dicitur Pater Spirituum. Hebr. XII. 9. Ita Ethnicis Iupiter dictus est πατήρ ἀνθρώπων τῶ θεῶν τῶ, & ζεὺς πατήρ. Secunda est quia nos genuit, & nos in Christo adoptavit, ut ex innumeris scripturæ locis videre est. Tertia denique quia filium habuit unigenitum Iesum Christum, cujus respectu Pater & Deus Pater, ut ab illo distinguatur, dicitur. Ad quæstionem: cur eadem natura divina dicitur filius? Sic respondet: ajo naturam divinam certo modo cogitantem interdum filii Dei nomine comprehendi, quia natura humana, cum qua unita erat, ita vocabatur, quemadmodum sub creaturæ ratione præditæ nomine non modo mentem intelligimus, sed totum hominem, seu corpus cum mente, propter arctam eorum unionem. Christum hominem autem Dei filium vocari ait, quia Deus per Spiritum suum eum in utero B. virginis formavit: quia Deus eum ab omnibus aliis sejunxit & sanctificavit, ac in mundum misit: quia Deus eum a mortuis excitatum dominio in omnes creaturas donavit. Sed unigenitum & proprium appellitari ait, quod hæc privilegia cum nemine communia habeat. Tandem divinitatem certo modo cogitantem Spiritum Sanctum dici asserit, quod sit vis ἀτοαῖς, quodque ad salutem nostram, pertinentia, quæ modo ἀοαῖς fiant, efficiat divinitas diverso a Patre & filio modo cogitans.*

V. Hæc est Liberii sententia, qua mysterium, Trinitatis implicavit. Hoc eum fecisse adeo clare ostendam,

dam, ut aut mysterium agnoscere, aut sententiam suam veluti absurdissimam, rejicere cogatur.

VI. *Implicatio*, inquam, est, si mysterium non est. Statuit tres distinctas in Deo cogitationes simul. Jam infero. Quot sunt in Deo cogitationes, tot sunt entia. Tres sunt in Deo cogitationes. Tria igitur sunt entia. Hæc tria entia sunt vel finita, vel infinita. Sunt infinita? habes tres Deos. Sunt finita? habes nullum.

Tres distinctæ cogitationes aut sunt ipsa essentia divina, aut sunt aliud quid. Sunt ipsa essentia divina? habes tres essentias divinas, nam tres distinctas habes cogitationes. Sunt ipsa essentia divina? quomodo possunt inter se distingui, ut Patris cogitatio non sit filii, filii non sit Spiritus Sancti? Essentia divina a se ipsa distingui nequit. Non sunt ipsa essentia divina? quomodo cogitationes Dei a Deo distinctæ sunt? quomodo participes sunt naturæ divinæ, quod statuisse Liberium memoravi ad epist. 1. §. X. Estne aliquid divinæ naturæ particeps, quod non est natura divina? Estne aliquid, quod non est homo, humanæ naturæ particeps?

Tres cogitationes aut sunt æternæ, aut transeuntes. Sunt æternæ? habes quatuor æterna, unam essentiam æternam, & tres cogitationes æternas. Non sunt æternæ? Sunt creaturæ. Quicquid enim revera existit, neque tamen Deus est, id creaturam esse fatentur omnes. Ergo in Deo sunt tres creaturæ, a quibus habet hoc, quod sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sunt in Deo tres creaturæ? sequitur a Deo creatas aliquando esse. Creavit ergo aut cogitans, aut non cogitans? Posterius absurdum est, concedendum prius. Ast si cogitans Deus tres cogitationes creavit, quæro an ante illam creationem jam Pater
filius

filius & Spiritus Sanctus fuerit. Fuit jam ? non factus est per cogitationes deinceps creatas. Non fuit ? trinitas est temporaria, & aliquando est unitas. Porro cogitatio illa, qua cogitabat Deus tres creationes creans, aut etiamnum durat, aut transiit. Transiit ? fuit creatura, & habes progressum in infinitum. Non transiit ? falsum est, esse jam tres solum cogitationes in Deo, sunt enim quatuor, una, qua cogitabat Deus tres reliquas creans, & tres creatæ.

Personam describit Liberius, quod sit suppositum intelligens. Agnoscit quoque tres in divinitate personas. Ergo tria agnoscit intelligentia supposita. Quum autem doceat, essentiam divinam esse unam, quamlibet autem personam participare essentiam divinam: concipiat sibi, quæso, quomodo tres personæ, seu tria intelligentia, inter se distincta, sint unum ens, una essentia in se indivisa. Heic experiatur suæ mentis acumen, ac dicat, quomodo tria realiter distincta, quorum unum ab altero valde differt, sint una numero ac indivisa entitas. Hoc aut absurdum est, aut mysterium est. Eligat, utrum velit.

Porro cogitationem Patris filius aut habet, aut non habet. Habet ? est pater, cujus cogitationem habet, a qua nomen sortitus est pater. Non habet ? nec essentiam divinam habet, nam cogitatio patris, juxta Liberium, essentiam divinam participat. Præterea filius nec omniscius est, nec summe perfectus, si caret cognitione patris. Ignorat aliquid, caretque perfectione quadam: Deum haud esse necessum est.

Tandem

Tandem non erunt tres personæ divinæ, si Libe-
riana valeat sententia, sed minimum tredecim. Tot e-
nim personæ erunt, quod modis cogitat Deus. Cogitat
autem ut אל יהוה אלהים אל cogitat ut גאל & sic por-
ro. Nec ratio apparet, si Deus, certo modo cogitans, fili-
us, qui persona fit, dicatur, quare non idem Deus, certo
modo cogitans, יהוה qui persona fit, appellitetur. Nam
æque dixerim: divinitas, certo modo cogitans, quæ יהוה
dicitur, neque est pars neque adjunctum Patris, filii aut
Spiritus Sancti, sed per se totum constituit. Præterea non
minus divinitas sese in scriptura ut יהוה revelavit, quam
ut Patrem, nec יהוה sine cogitatione est, aut minus cogi-
tat, quam Pater. Cum igitur Liberio 1. impossibile sit
definitu, an divinitatis cogitatio, qua cogitat ut יהוה sit
patris, filii aut Spiritus Sancti cogitatio, an vero peculia-
rem personam constituat. 2. si non constituat peculiarem
personam, ad quam ex tribus sit referenda: ac insuper
nulla ratio sit, quæ prohibeat, quo minus Deum cogitantem
ut יהוה אל &c. peculiarem personam dicere debeam; cer-
tum est, aut plures personas admittendas esse, aut myste-
rium agnoscendum, aut denique idoneum argumentum
afferendum, quo ostendatur, solos tres illos modos, quo
ut pater, filius & Spiritus S. cogitat divinitas, personas
efficere, reliquos non item. Si dicat Liberius, cogitatio-
nem Dei, qua ut יהוה cogitat, esse tribus personis commu-
nem, quæro primum unde hoc norit: deinde annon hoc
modo quatuor personas invehat, cogitantem Patrem, co-
gitantem filium, cogitantem Spiritum, cogitantem essen-
tiam. Quot enim in Deo sunt cogitandi modi, tot sunt, jux-
ta Liberium, personæ. Quæro, quid Wolzogenio respon-
surus sit sic inquiringi *Declar. duar. contrar. sentent. p. 24.*
Velim scire, quomodo ii, qui hoc in lucem protulerunt, possint
G vel

vel umbra aliqua rationis probare, rem ad eum modum se in Deo habere, ut nimirum unica Dei essentia, quam ipsimet simplicissimam esse fatentur, sæpius quam semel Deus sit, & quidem non bis aut quater, sed nominatim ter tantum? Mira quoque propositio est: ratio, i. e. Deus tribus cogitationibus simul efformatis, at valde inter se distinctis, cogitat. Mira propositio: ratio est tres personæ, ratio est tria supposita intelligentia, ratio est tres rationes. Vocari autem Deum rationem, *Ioannes Clericus* contendit *animadversion, in c. 1. Ioann.* quas exodo nuper præfixit.

VII. Hæ sunt potissimæ difficultates, quibus Trinitatis mysterium implicavit Liberius. Antequam autem progrediamur, ostendendum verbo est, rationes denominationis §. III. allatas, a quibus personas divinas Patrem Filium & Spiritum S. vocari opinatur, non sufficere. Spiritui Sancto id nominis tributum vult, quia *sanctificationem & alia ad salutem nostram pertinentia, quæ modo à se gestantur, faciat divinitas diverso a Patre & filio modo cogitans.* Inane hoc est. Nam si divinitas sanctificationem facit, & Pater facit, & Filius, quibus communis est divinitatis potentia ad producendos quosvis extra se effectus, etsi per appropriationem Spiritui Sancto adscribantur. Hoc sana ratio dicitur, quæ non nisi unam in divinitate potentiam extra se operandi agnoscit. Deinde si hæc est vocitandi Spiritus Sancti ratio, Pater quoque & filius eodem modo Spirituum Sanctorum venirent in censum. Nam, ut reliqua prætereamus, regeneratio tribuitur Patri *1. Petr. I, 3.* Filio *Ebr. II, 13.* Quum igitur Pater & Filius effectus spirituales non minus modo à se producant, quam Spiritus S. sequitur hanc productionem, solitarie spectatam, non posse ab illo cæterarum personarum distinctum nomen largiri, ac sublimiorem subesse denominationem.

minationis rationem, quam nos spirationem passive spectatam dicimus.

Filium Dei sic vocatum vult, quia humana natura, cum qua uniebatur, sic vocata est. Ast hæc male cohærent cum Liberiana hypothefi. Nam si secunda divinitatis persona per hoc unita est Christo homini, quod eidem consentit, haudquaquam propterea ejus nomine insignienda erit, nisi imperatorem, rustico consentientem, rusticum, Liberium, filio suo consentientem, Liberii filium vocare velis. Nec quicquam in recessu habet, quod de creatura rationali affert & §. III. a me adscriptum est. Utrique totus homo creatura rationalis dicitur, quia est. Nonne corpus, nonne totus homo creatura est, quæ ad esse specificum restringitur notione *rationalis*. Si igitur hæc similitudo juvet, me juvabit, non Liberium.

Quæ de appellatione Patris affert, pridem refutata sunt a nostris cum Socinianis decertantibus. Mihi jam sufficit exquisita responsio, videlicet, si ob creationem hujus universi Pater sit Pater appellandus, ob eandem rationem Filius quoque & Spiritus S. sint dicendi Patres, quum una sit & indivisa extra se operandi divinitatis potentia.

IIIX. *Reliqua* nunc expendenda sunt, quibus mysterium male sanæ rationis ludibrio exposuit Liberius. Inter præconceptas ab infantia opiniones circa hoc dogma primo loco ponendum putat fucum, quem veteres suis adversariis fecerint, ut ab eorum sese tuerentur argumentis: dixisse nimirum, mysterium esse hominum captum longe superans. Hoc inde esse putat, quod veterum mentes, Ethnica philosophia occæcatæ, rem, quantumlibet claram, pervidere haud potuerint. Porro dubium non esse ait, licere de hoc

mysterio non solum dubitare, sed & contrarium credere, sine salutis iactura, idque ideo, quod scriptura ejus incomprehensibilitatem nusquam tradat.

Ut has sophisticaciones paucis diluam, falsum primo est, veteres dogma hoc mysteriis annumerasse, quod Ethnica philosophia fuerint infecti. Clemens quidem *Alexandrinus Strom. V. p. 598.* ait, *videri*, ac si Plato patrem & filium ostenderit, sed addit ἐν τῶν Ἑβραϊκῶν γραφῶν. Unde apparet 1. Patres e scriptura Trinitatis mysterium hausisse, deinde καὶ ἄνθρωπον disputantes ad gentilium provocasse consensum, ut fecit quoque Augustinus. *V. Henricus Cornelius Agrippa de occult. Philos. L. III. c. VIII.* 2. Ex mente Patrum non Philosophiæ Platonice sed scripturæ V. T. originem debere sacrosanctum mysterium. Laudo igitur innumeros martyres & confessores, quibus de philosophia ista nil plane innotuit, perinde ac modernis Christianis plerisque. Vel unicum exemplum nunc adscribam ex *Sozomeni Hist. L. I. c. XVIII.* ubi sic ait autor eximius: *Cum quidam ex Gentilium Philosophis ob sermonum magnificentiam insolenter sese jactaret, & sacerdotibus illuderet, senem quendam simplicem ex eorum numero, qui in confessionibus inclaruerant, arrogantiam hominis non tulisse ajunt. Sed tametsi ejusmodi argutarum ac velitationum expertus esset, congregandi cum eo partes suscepisse. Ea res petulantibus quidem viris, quibus confessor notus erat, risum excitavit. Modestis vero metum incussit, sollicitis, ne cum viro dicendi peritissimo collatus, ridiculus appareret. Verum tamen cum ei quæ vellet, dicere permisissent: neque enim tali ac tanto viro diutius obsistere audebant: Audi, inquit, Philosophè in nomine Iesu Christi. Unus est Deus, cæli terræque & visibilium omnium atque invisibilium conditor: qui hæc omnia verbi sui virtute perfecit, & Spiritus Sanctitate*
firma-

firmavit. Hic igitur sermo, quem nos Filium Dei vocamus, hominum errorem ac ferinam vivendi rationem miseratus, ex muliere nasci voluit, & cum hominibus versari, & pro ipsis mortem oppetere. Iterum vero venturus est, iudex eorum, quæ unusquisque gesserit in hac vita. Hæc ita se habere simpliciter credimus. Noli igitur frustra laborare, eorum, quæ fide comprehenduntur, quærens confutationes, modumque investigans, quo ista fieri aut non fieri potuerint. Sed si credis, interroganti mihi responde. Hoc sermone obstupescens philosophus, credo, inquit. Et gratias agens, quod victus fuisset, eadem quæ senior sentire cepit, & iis, qui pari modo, quo ipse antea affecti erant, svasit ut ipsi quoque idem sentirent: iurejurando affirmans se non sine Dei numine mutatum, sed inexplicabili quadam virtute ad Christiani fidem suscipiendam impulsus esse. Nec omnes Patres, qui trinitatis mysterium diferte tradunt, una, sed diversis ac litigantibus inter se scholis prodire. Qui ergo fieri potuit, ut doctrina, temperamentis, regionibus, linguis, vitæ genere distincti idem sentiant circa dogma quoddam, unde nulla in ipsos redundabat, temporalis quidem, utilitas, quandoquidem nec mundo gratum est, nec ad voluptates conducit. Errassene hos omnes, & quidem gratis, probabile est, donec enasceretur Liberius? Nullusne Theologus fuit, cujus mens Ethnica philosophia occæcata haud fuit? Nullum autem hæcenus fuisse, fateri oportet Liberium, quando dogma hoc Theologis omnibus crucem fixisse docet, et si id facile sit explicatu, modo recta ineatur via, Liberiana videlicet.

Amplector interim, quod docet Liberius, Theologis omnibus crucem fixisse dogma illud. Sic enim haud novum erit, quum Patres Theologos fuisse constet. Com-

mittendus igitur noster cum *Christophoro Christophori Sandio*, qui impiis ad *Gardinerum* epistolis, nucleo historiae ecclesiasticae subjectis, Trinitatis mysterium postulat novitatis.

Ast quod deinde affirmat, nusquam Trinitatis incomprehensibilitatem in scripturis tradi, id & falsum est, & mirum excidisse viro docto. Nam dum scriptura in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizare jubet, cum mysterium tradit, tum ejus incomprehensibilitatem. Ast, inquis, nil addit de incomprehensibilitate. Verum hoc est, nil addit totidem verbis, sed meminisse debes, nec de incomprehensibilitate factorum Simsonis addidisse quicquam. Tradit res, quas sintne comprehensibiles aut incomprehensibiles, intelligendo experimur. Traditur itaque rei alicujus incomprehensibilitas ab eo, qui rem incomprehensibilem tradit, ut taceam *1. Cor. II, 14.*

IX. Ut porro praedictis oneret sacrosanctum, mysterium, Apostolorum tempore aut pro *ἀναλαμβάνειν* habitum non esse docet, quum eo nunquam offensi sint Judaei; aut nullum tale mysterium ab Apostolis praedicatum.

Posteriorem collectionis partem confutat quaelibet novi foederis pagina, & inde nostri contra Socinianos: prior probanda erat. Liberius inde probat, quod ea de re nil sit memoriae proditum, quandoquidem cum Judaeis de hoc mysterio disputatum nullibi dicant scripturae. Falsum hoc est, & si verum esset, nihil sequeretur, quum a silentio historici ad negationem factorum concludendum haud sit. Non natam fuisse ejusmodi controversiam, nemo dixerit, nisi aut Apostolus, aut cum Apostolis semper conversatus. Quod autem parcius forte ea de re concertatum sit, eam primo subesse rationem arbitror, quod Pharisei de muscis, caremo;

ceremoniis, jejuniis altercari solent, prætermiſſis quæ ſpectarent ad ſalutem; deinde hanc quoque, quod Apoſtoli, prudentia eccleſiaſtica uſi, conuerſionis negotium a tam excelſo dogmate auſpicati haud ſint, ſed gentes incredulitate, ludæos impletionis legalis defectu conſtringi demonſtrarint. Præter hæc omnia uero falſum eſt, nihil de conſertationibus iſtis ſcriptum eſſe. Ad dogma de Trinitate pertineat, an Chriſtus ſit *cum patre unus, æqualis patri*, qua de re adeo diſputatum eſt, ut promiſcua multitudo lapidibus ſeſe Chriſto oppoſuerit. Oportuit ergo de diuinitate Chriſti doctrinam manifeſto tum propoſitam cognitamue fuiſſe, quam & infimæ plebis homines cognoſcerent ac inſectarentur. Verum *obmurmurationes* hæc uocat Liberius. *Quid ſunt, inquit, hæc obmurmurationes, præ diſputationibus de iuſtificatione, de cibis licitis?* Nolim mihi ſic obmurmurari, ut a lapidibus timendum ſit.

X. Recte hinc colligo, non potuiſſe populos myſterium capere, etiam ethnica philoſophia plane carentes. Scholaſtici illius rei cauſam aſſignant, quod de re infinita agatur. Reſpondet Liberius, non agi heic de re infinita qua tali, ſed de rei infinitæ proprietate. Verum recte ſentiunt ſcholaſtici, nec uel tanti eſt Liberiana objectio.

Nam quacunq; ideas de Deo ſibi format Liberius, illæ ſunt a rebus finitis deſumptæ, inque iis fundatæ. Sed ideam entis finiti ad ens infinitum ita transferre, ut nihil in infinito admittas, quod non quadret ad ideas entium finitarum, id ſane ualde abſurdum eſt. Negas enim tunc, ens infinitum tale eſſe, quale dicunt, qui myſteria admirantur, quia non eſt ad finitarum entium ideas comparatum. In finiti entis infinita idea eſto, ſi ei ſatis reſpondere debeat. Itaque qui ens infinitum tale dicit, quale ſibi concipit, is dicit, infinitum eſſe finitum. Idea
enim

enim de infinito finita est. Si igitur infinitum ideae finitae responderet, erit finitum. Qui autem infiniti entis, quae talis, ideam adaequatam sibi concipere nequit, nec ejusdem modum subsistendi assequetur, quum aequae infinitus sit, atque *ens infinitum finito modo subsistere haud possit.*

Proprietates, de quibus loquitur objectio, aut sunt non entia & finguntur, aut sunt ens. Prius negat Liberius. Sunt itaque ens. Si hoc, aut sunt ab infinito ente realiter & nemine cogitante distinctae, aut non. Sunt distinctae? non sunt entis infiniti proprietates, quia infinitum non est compositum ex multis entibus, infinito uno & finitis reliquis. Non sunt distinctae? Sunt ipsum ens infinitum & consequenter infinitae. Abstractio rationis non infert abstractionem realem. Facebant ergo ideae proprietatum finitarum. Estne probabile, infinitum nihil habere, quod finitus intellectus capere haud possit, praeter infinitatem, reliqua omnia in illo ente quadrare ad ideas finitas? Nonne ens infinitum infinitae proprietates decent, ut finitum finitae? Non possum non adscribere verba *Philippi Mornaei c. V. de Verit. Relig. Chr.* Ad quaestiones quod attinet, quas aut curiosi aut suspicaces in hoc fidei articulo movere solent, uno verbo respondemus: enarrent illi nobis, qua ratione geniti sint, tumque liceat de filii generatione percontari. Exponant cur & quomodo Spiritus pulset in arteriis, tumque in Spiritus Sancti processionem inquirent: quod si vero in rebus adeo vulgaribus obmutescere coguntur, quas & vident passim, & in semetipsis contredant; liceat sane & nobis multa in iis ignorare, quae, ut ait *Empedocles*, non vidit oculus, non audit auris, non mens unquam ulla penetravit aut penetrare potest. Addo *Arnobium L. II. c. Gent.* cujus haec sunt ad Gentiles verba: *Cum & vos ipsos tantarum ac tot rerum fugiant*

dua divinitate personæ. Si enim Deus est, dantur
plures una. Si non est, non datur nisi una.

Caput V.

Ad

Epistolas IV. & V.

I.



Facile patior, Liberium epistola IV. suo abundare sensu, ubi de hominis creatione & statu ante lapsum disputat. Vellem tamen rectius probasset, quod §. XIII. ait, mentis nostræ essentiam in cogitatione sitam esse. *Nil, ait, in nobis sentimus præter varias cogitationes, affirmationes, negationes, desideria, voluntatem, dolorem, sensationes denique innumeras, in quibus nullam extensionem, nullam figuram videmus. Unde dubium esse non potest quin mentis nostræ essentia in cogitatione sita sit, atque ab omni extensione aliena, ac proinde recte dicatur substantia cogitans. Neque enim esse potest aliquid accidens, quale est membrorum & cerebri dispositio, nam in accidens non cadit cogitatio. Hinc concludere est, divinæ particulam auræ, ut loquitur Ethnicus Poeta, quam Deus corpori Adami indidit, nihil fuisse præter substantiam cogitatione præditam.*

Hæc legenti multa dubia suboriuntur. Mittam, quæ Petrus Daniel Huetius Cartesianæ Philosophiæ Censura adduxit, & Ioannes Schottanus Exetas. p. 189. seqq. confu-

confutare conatus est. Ea saltem percensebo, quæ, ut
puto, manifestissima sunt.

Primo igitur si mentis nostræ essentia in cogita-
tione consistit, erit cogitatio. Hic enim est illius locutio-
nis sensus, quemadmodum dico, cujus essentia in materia,
in unitate, consistit, id est materia, unitas. Si mens nostra
est cogitatio, non est substantia cogitans, sed accidens.
Cogitatio enim est accidens.

Deinde si mentis nostræ essentia propterea in cogi-
tatione consistit, quod in nobis sentiamus varia desideria,
voluptatem, dolorem, sensationes denique innumeras, in
quibus nullam extensionem, nullam figuram videmus;
sequitur brutis competere mentem humanam. In brutis
enim eadem sentimus. Hinc patet, male inferri, rei ali-
cujus essentiam in iis consistere, quæ nos rei inesse cognos-
camus: alioqui brutorum essentia in somno, in comesti-
one, in cursu, avis essentia in volatu, consisteret.

Porro si essentia mentis in cogitatione consistit,
cogitatio illa aut actum notat, aut cogitandi potentiam.
Si prius? innumeræ erunt mentis nostræ essentiæ, qua-
rum quotidie infinitæ pereunt: quo admissò conceden-
dum est, mentem nostram quotidie sæpenumero interire.
Res enim manere non potest sublata ejus essentia. Si po-
sterius? etiamnum ignoro, quid sit mens, & in quo ejus
sita sit essentia. Quid est potentia cogitandi? Quid dicis,
quando inquis, potentiam cogitandi esse substantiam co-
gitatione præditam? quid inquis, quando substantiam
cogitantem, quando potentiam cogitandi in cogitatione
consistere ais? Hoc tantundem est, ac si quis potentiam
dormiendi in somno consistere asseveraret.

Tandem si verum est, quod §. XVI. ait: *hæc est mentis humanæ natura, ut semper ac necessario cogitet*, sequitur Deum habere mentem humanam. Est enim Deus natura, quæ semper ac necessario cogitat. Nec est quod dicas, longe præstantiores esse Dei cogitationes. Sufficit enim, ad id, quod concludo, probandum, Deum habere mentem humanam, etsi deinde etiam nobilior quid habeat ultra illam mentem. Res clara erit, si consideremus, & hominem & brutum, juxta Peripateticos, habere naturam animalis. Etsi enim homo ultra naturam animalis præstantiori adhuc natura gaudeat, id tamen verum, certumque relinquitur, illum etiam animalis essentia gaudere.

II. Illud quoque præterire non possum, quod §. XXI. docet: *Cum intellectus mere, uti diximus, sit passivus, manifestum est in eum nec virtutem nec vitium cadere, in mera enim objectorum perceptione nihil turpe nihil laude dignum est. Erat ergo intellectus in Adamo, si in se consideretur eodem modo dispositus ac in nobis. Nulla est hæc consequentia. Visus essentia consistit in potentia cognoscendi coloratum, & eadem est in eo qui acutum videt, & cœcuciente. Neque tamen in utroque eodem dispositus est modo. Non disputo nunc, an intellectus Adami potuerit promptius clariusve objecta percipere, atque nostra illa mens. Id enim docent Theologi ex scriptura, quo lucula nostra tenebrarum nomine venit cum splendore Adamitico comparata. Sed de consequentia quæro. Adfint Sempronius & Cajus, quorum ille intellectu ad percipiendas res præclaras idoneo gaudeat, hic vero stupidus sit. Utriusque intellectus est mere passivus, in nullum nec virtus nec vitium cadit: in mera enim objectorum perceptione*

ptione nihil turpe, nihil laude dignum est. Eritne igitur intellectus Sempronii æque dispositus ac ille Caji?

At inquit lector, addidit Liberius voces *in se*. Concedit igitur diversam dispositionem. Ita videri poterat, si hæc Peripateticus quispiam protulisset. Sed Liberianæ Philosophiæ alia est ratio. Heic enim vocibus *in se* id vult Liberius, intellectum in nobis æque perspicacem esse ac in Adamo, quamdiu a voluntate non corrumpatur.

III. Epistola V. primorum parentum lapsum contemplatur, ac ita se gerit, ut si hallucinatus sit, a scripturæ interpretibus debeat commonefieri.

Caput VI.

Animadversiones ad epistolam VI.

I.
Perniciosa est hæc epistola, qua propagationem peccati nova methodo explicaturum se pollicetur Liberius. Præstabo autem in ejus confutatione quatuor: 1. sententiam ejus proponam. 2. ad rationes respondebo. 3. probationes nostratum a Liberianis sophismatis vindicabo. 4. propagationem ab ipso traditam evertam.

H 3

II. Mens

II. Mens Liberii hæc est, peccatum, quod nos originis vocamus, figmentum esse, infantibus, nullam inhærere corruptionem, multo minus Adami peccatum imputari posteris. *Non loquar, ait, de iis, qui Adami peccatum imputari posteris existimant, tam absurda enim sententia a paucis nunc defenditur. Cum illis, qui corruptionem inhærentem infantium tuentur, mihi res est.* Hoc igitur negat: privari intellectum naturâ spirituali luce, quæ requirebatur ad Deum recte cognoscendum colendumve, nec non ad præbendum rebus spiritualibus assensum: negat adesse nobis naturâ pronitatem mentis ad ferenda de rebus spiritualibus judicia temeraria, impotentiam ex lumine naturæ ea omnia cognoscendi, quæ inde alias potuissent cognosci. Negat, voluntatem carere viribus diligendi Deum super omnia, & exequendi, quæ intellectus dictavit: negat voluntatem propendere ad opera peccaminosa. Negat denique appetitum sensitivum privari obsequio superioribus facultatibus debito, & quæ sunt plura peccati originalis, ut sic dicam, partes.

III. Antequam autem Liberii rationes videamus, adjiciam, quibus eum Poiretus citato loco allocutus est, verba, quæ huc redeunt: *Quod ipsum si tentare lubeat, tuum erit, Domine, in te inspicere, annon, quamvis in superbiæ & amoris proprii elemento natum te ex communi corruptionis native cœcitate (Pelagianismi erroribus adscitis obscurata) haud bene agnoscas, annon tamen huic morbo originario testimonia dent primi tui, quantum memor es, anni? Annon ex tui existimatione & amore proprio omnia primitus feceris, & judicaveris? Annon his stimulis in eruditione tui fueris educatus, iisque sæpius gratissime affectus? Annon ut commendabilior tibi appareres, tuisque seu parentibus seu instituto-*

stitutoribus gratior, ea, quæ ipsi aestimaverunt magni, (qualia ex editis a te video esse humanarum literarum, linguarum, criticesque minutias) studiose tibi comparaveris, iisque ex more seculi, vulgaria philosophemata, Theologiamque qualis in tuis libris apparet, addideris, quibus veluti ornamentis indutus, jam te tibi aliisque gratiorem esse vehementer sis gavisus? Ista quando recte animadverteris, tunc scias, hæc esse in te (ut in cæteris) fontem & originem omnium tenebrarum errorumque, & principia, unde impellitur animus tum ad falsa & vana propalanda, tum ad contemptum veritatum vani idoli nostri ornamentis adversantium, tum etiam ad calumniam & irrisionem eorum, qui veritatem proferentes, falsa & vana quibus superbus amor proprius sibi aliisque commendabilis videtur, nihil esse demonstrant.

IV. Jam Liberii rationes sigillatim enumeremus: Duplicis illæ generis sunt, quædam e scriptura, quædam aliunde petitæ. De locis scripturæ primum videamus, sed paucis, quoniam vulgares sunt, a Remonstrantibus cotidie prolati, sed librorum refutati millibus. Primus est, ait Liberius, Deut. I, 39. ubi parvuli Israëlitarum dicuntur ignorasse, quid esset bonum ac malum, qua phrasi significat Moses, eos omnino a peccato immunes fuisse, qui enim ignorat discrimen, quod est inter bonum & malum, peccator esse non potest, si ea ignorantia ab ejus culpa non fluat. Infantes autem id nesciunt, nec ob infirmitatem corporis scire possunt, invidua plane est ignorantia, neque ex malignitate ulla orta. Vbi nulla est lex, inquit Paulus Rom. V. peccatum non imputatur, nulla autem est infantium respectu, quia nullo modo ipsis innotuit, unde sequitur eos peccato carere. Respondeo, nos idem dicere, quod dicit Moses. Si enim quis tam stultus sit, ut infantem se, quid bonum esset aut malum, novisse dicat,

dicat, eum jubebo memoriam infantiae suae, quoad potest, ultimam repetere, & admirabor simul, veluti ab incunabulis sapientem. At non obstante ignorantia illa nequam negavit Moses, homines carnaliter genitos, esse natura filios irae, quae est peculiaris constituendi peccatorum ratio. Negat Moses, infantibus cognitum esse discrimen inter bonum & malum, innocentes haud vocat. Qui ignorat discrimen inter bonum & malum, peccator esse non potest, scilicet, ut ita loquar, actualis, & qui sciens peccet. Nil obstat vero, quo minus peccato originis sit infectus, ut docet scriptura. Ostendat Liberius, fieri non posse, ut quis peccator rite audiat, nisi peccet sciens. Si inde probat, quod ad omne peccatum, requiratur proaeresis & judicium, manifesto principium petit. De eo enim nunc disputatur. At, inquis, non imputatur peccatum, ubi lex deficit, ut in infantibus. Respondeo, in Graeco est *εὐλογεῖται*, de qua voce demum inquirendum, an recte reddas per *imputatur*, quod non ferent Graeci. τὰς εὐλογημένους ζῆλῶν Ἰσοκράτι ἐστὶν viros laudatos imitari. *εὐλογεῖν* saepe est *ἐγκωμιαίειν*. Rectius hoc loco reddideris per *celebratur*, ut sensus sit, deficiente lege homines secure peccare, nec multum in societate aestimari, si quis peccet, quod peccatum sit res levis, de qua rumor vix exoriatur in societate, qua peccandi consuetudini remorae haud injiciantur legibus. Sed utcunque vertamus, contextus ostendit, ita crude non esse intelligendam propositionem: ἀμαρτία ἐκ εὐλογεῖται, μὴ ὄντος νόμου. Nam imputatur utique peccatum gentibus, quas lege Mosaica, de qua agit Paulus, novimus destitutos. Hinc ipse Apostolus: *usque ad legem peccatum erat in mundo*. Peccatum ergo jam peccatum erat ante promulgationem legis, qua
de Paulo

de Paulo sermo est. Nostratum responsiones exscribere nolo, quæ videri possunt libris contra Socinianos & Remonstrantes.

Pergit Liberius: *Secundus est Ionæ IV, 11. in quo Deus Ionæ querenti quod kikajon seu Palma Christi, quæ ei umbraculum fuerat, exaruisset, cum prius Ninivæ exitium petiisset, respondet: Tu doles super kikajon in quo non laborasti, nec fecisti ut cresceret, qui sub una nocte natus est & sub una nocte periit, & ego non parciam Ninivæ civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter sinistram & dexteram suam. Vides hic innocentiam infantium Deum impulisse, ut cæteris parceret, quod certe factum non fuisset, si infantes ea corruptione fuissent inquinati, quæ æternas inferorum pœnas mereretur. Eant nunc Scholastici & æternis cruciatibus damnent innocuam ætatem, quam ne morte quidem dignam Deus censuit.* Respondeo, falsum esse, quod Deus infantes morte haud dignos censuerit, nec id dici citatis verbis. Non sunt infantes morte digni? cur moriuntur? Cui infligitur malum passionis, quo dignus haud est, seu quod non est promeritus, illi injuria fit inter homines. Deum autem homines affligere, ut affligat, & in illos, qui ipsum nunquam nulloque modo offendere, horrendo mortis genere grassari, nec ratio docet nec scriptura. Alicui parcere importat communiter dignitatem ad subeundam pœnam. At Deus parcat Ninivæ. Ergo & infantibus, quos adeo dignos fuisse oportet malo passionis. Non necesse est, ut is, cujus intuitu malis parcat Numen, sit sine omni peccato. Perditurus enim Sodomam Deus asseverabat, velle se Sodomitis parcere, si vel decem inter illos sint probi. Nemo adeo probus est, ut omnis peccati sit ex-pers. Perdidit autem Deus Sodomitas juxta cum infantibus,

bus, quos adeo morte dignos fuisse oportuit. Nec obstat, quod nescire dicuntur, quid distent æra lupinis. Id enim nos non asserimus, alioqui & Deo, & rationi, & experientia adversaremur. Verum, ais, innocentia infantum impulit Deum, ut cæteris parceret. Ubi hoc extat? Id collegeris ex divino sermone, peccatum originis, actualibus peccatis aggravatum, majorem pœnam mereri, sicque conveniens esse bonitati divinæ, ut inæqualia peccata æquali pœna haud puniantur: omittendam ergo deletionem Ninivæ ob pœnitentiam, & infantes tam atroci supplicio, quo parentes digni erant, haud afficiendos. Sane nisi pœnitentiam egissent incolæ, prætexta infantum innocentia nullatenus excidium avertisset, quod bene notandum, uti nec avertit tempore Sodomitarum. Scilicet si innocentes essent infantes, non dixisset Deus, velle se Sodomitis parcere, si vel decem inter illos sint innocentes. Plures quam decem infantes erant Sodomæ.

Tertius locus est, inquit noster, Matth. XVIII, 13. cui conjungendus XIX, 14. nisi immutemini, & sicutis ut infantes, non intrabitis in regnum cælorum. Obtorto collo locus huc trahitur. Sensus enim est, nisi quis humilis fiat, ut infans, ingredi eum portam cælorum non posse. Negatur ergo, infantes superbos esse, quod nos concedimus, etsi sat mature propullulet fastus peccato originis ortum debens. Res plana est, unde verbum non addo. Inspiciatur contextus.

Progreditur Liberius: *Quartus est Rom. IX, 11. Ubi dicit Paulus Jacobum & Esavum nondum genitos nil fecisse bonum aut malum.* Responderetur, nos idem cum Paulo dicimus. Verum prævidens hanc responsionem Liberius *de peccato, actuali, ait, opposita ad originale verba hæc intelligi non possunt, quia si supponas in iis originalem fuisse corruptio-*

ptionem, minime stabit Pauli ratiocinatio. Nimirum si ea-
labe fuissent infecti, alter altero fuisset necessario ad malum
pronior, ac proinde Deus unum potius odio habuisset, quam
alterum. Cum enim mens per corpus corrumpatur, necesse
erat alterutrum corpus, cujus temperamentum ad peccatum
mentem inclinare poterat vehementius, eam magis corrupisse.
Itaque Paulus frustra diceret neutrum bonum aut malum fe-
cisse, quoniam Deus non modo actiones respicit, sed etiam in-
clinationes, quæ si meliores aut saltem minus malæ in uno fu-
issent, quam in altero, Deum determinassent. Ergo frustra
hic adhibetur Scholastica distinctio peccati actualis & origi-
nalis. Respondemus, falsum est alterum altero necessario
ad malum fuisse proniorem: falsum quoque est, mentem
semper corrumpi per corpus. Quin corpus sæpissime
corrumpitur a mente. Iacobum & Esavum nil mali fecisse
ait Paulus, peccatores fuisse non negat. Non necesse erat,
alterutrum corpus mentem magis corrupisse, quia non ne-
cesse erat, alterutrius temperamentum mentem ad pecca-
tum vehementius inclinare. Unde innotuit Liberio tem-
peramentorum diversitas? Actualibus peccatis sæpius
repetitis habitum peccandi firmissimum contrahere potuit
Esavus, quod affirmare satius duxerim, quam omnia ad
temperamentum referre, quod sane creatori acceptum fe-
rimus omnes. Hicne igitur tale temperamentum dedit,
quod mentem necessario corrumpat? Et qui homo liber-
tatem retinet, ac causa est peccati?

At, inquit Liberius, si habuissent peccatum origi-
nis, illud Deum determinasset. Verum hoc est. Determi-
navit ad inferendam utrique mortem. Quod autem utriq;
non illata est, ex gratia est. Neque enim negat Apostolus,
peccatum originis determinasse, sed negat bona, quibus
Jacobum numen affecit, operibus promerita. Videatur

contextus, qui abunde docet, ibi Paulum ne cogitasse quidem de peccato originis, multo minus de ejus pœna, sed de gratuito Dei favore, quem Liberius hujusmodi statuit, ut illo Deus etiam nulla intercedente satisfactione homines complecti queat.

Mirari itaque subit, eum heic determinationem peccati urgere, qui cum Socinianis facit, Deo pro peccatis nostris satisfactum fuisse negantibus. *V. Socinus Praelect. Theol. c. XVII. & L. de Christ. servat.*

Restant duo Liberii loca ex *1. Cor. XIV, 20. 1. Petr. II, 2.* quibus cavere nobis jubemur a peccatis proæreticis, quorum sunt destituti infantes. Clarissimus est sensus, siquidem Apostoli a peccatis proæreticis & actualibus dehortantur. Nominaturi igitur eos, qui adultis exemplo sint, nec angelos nec bruta nominare poterant. Nominabant igitur infantes. Hinc illud in infantibus esse negant, a quo adultos dehortantur. Sed ab actualibus peccatis adultos dehortantur.

Hæc sunt, quæ ex scriptura attulit noster. Jam rationes videamus. Prima est a Gentilium consensu petita. *Cum revelatione, inquit, consentiunt omnes quotquot sunt ac fuerunt Gentes, quæ semper infantes ut innocentes spectare, & eodem modo de illis ac scriptura locuta sunt.* Hæc ratio nihil sani habet. Nam primo si Gentiles eodem, quo scriptura, modo de peccato originis locuti essent, dixissent nos natura esse filios iræ. Deinde, falsum est, Gentes de peccato originis nil prorsus novisse, quod ostendunt, qui de Gentilium Theologia commentantur. *V. ex recentioribus Vir insignis, Tobias Pfannerus Theol. Gentil. c. IX. & Petrus Daniel Huetius de Concord. Rat. & Fid. L. II. c. IX.* Malum *συγγενές* agnovit Aristoteles: malum *σύνφρον* Pythagoras. Reperit in se aliquid Seneca, quod tendentem alio

alió traxit, & eo, unde recedere cupiebat, impulit: quòd cum ejus animo colluctatum est, unde per se emergere non potuit. *V. Venerandus D. Præses Theolog. Senec. P. II.* Porro Gentes, qui infantibus innocentiam tribuunt, negant eos peccatis actualibus vel civitatem læfisse, vel Deum: de originis peccato parum solliciti. *Tandem* non sequitur, Gentiles dissentiunt a dogmate, ergo falsum est: alioqui sarcinulæ colligendæ essent Christo nostro. Fatemur enim, & in statu controversiæ monemus, mysterium esse peccatum originis, cujus tamen effectum luculenter sentiant Gentes. Nitimur in vetitum. Si Gentes ut innocentes spectarunt infantes, sequitur nihil amplius, quam peccatum originis illis pene fuisse ignoratum, quod concedo. Fuit enim intellectus eorum *σκότος, tenebræ.*

Altera Liberii ratio huc redit: *Vt aliquid pro peccato habeatur debet ab eo proficisci qui ratione utitur, sic quicquid faciunt furiosi, aut febrî ardente correpti, peccatum minime censetur.* Hæc omnia concedo de peccato actuali & iudicibus humanis. Ast de peccato originali idem dicere est petere principium. Hujus enim plane peculiarem rationem esse, docent scripturæ, & nos, quæ ea sit, ignoramus, peccatum esse scimus. Unde quæcunque deinceps concludit Liberius, scopum haud feriunt, quum ideam peccati actualis ad peccatum originis transferat, quod ne fiat, cautum est a nostris in ipso, ut dixi, controversiæ statu. Si tamen omnino sibi placeat hac ratione sua, afferam argumentum, cujus conclusionem si quis profiteatur, nihil inde damni sentiet coram tribunali divino. Scilicet concedo, peccatum originis nobis voluntarium fuisse, atque sic argumentor. In quo peccavimus, in eo voluimus peccare. In Adamo peccavimus. Ergo in Adamo voluimus peccare. Major Liberio patescit ex terminis. Minor

extat *Rom. V, 12*. Sed, inquiet Liberius, quomodo in Adamo potuimus velle peccare? Ego id nescio, rem ipsam, scio, quippe a Spiritu S. commemoratam. Mittat glossas Liberius, & ad solam scripturam convertatur, nihil tum erit difficultatis, quæ rem ipsam attineat.

V. Postquam ad rationes Liberii responsum est, id faciam, quod me tertio loco præstiturum dixi, videlicet loca scripturæ, quibus peccatum originis probant Catholici, ab exceptionibus Liberii vindicabo.

Nostri primo hunc locum è *Genes. VI, 5*. afferunt: *Omnis imaginatio cogitationum cordis hominis est tantum malum omni tempore.* Et illum *Genes. IX, 21*. *Cogitatio cordis hominis mala est à pueritia sua.* Excipit Liberius: *In hisce locis non agitur de infantium peccato, in primo enim Deus loquitur de peccatis hominum, quæ eum ad immittendum diluuium impulerunt, inter quæ originis peccatum esse, nemo, opinor, dixerit. Moses enim v. 11. 12. diserte docet id factum esse quia terra erat corrupta coram Deo & repleta omni iniquitate; & omnis caro corruerat viam suam. In secundo etiam de iis peccatis agitur, quæ Deum impellere possent ad maledicendum terræ, ideoque de lue originali intelligi nequit, neque enim solum illud peccatum, ut omnes fatentur, à tam misericordi Deo tam atrocem vindictam extorquere potest.* Respondeo, agi primo loco de infantum quoque peccatis, non negabit, qui dicto Christi, *baptizate omnes gentes, pædobaptismum probari fatetur.* Nam loquitur de omni homine *omni tempore.* Peccatum originis Deum ad immittendum diluuium, juxta cum aliis, movisse, certum est, quia eum impulit terra *omni iniquitate* repleta. Peccatum originis est etiam iniquitas. Solum autem originale peccatum Deum non impulit, sed horrenda scelera simul, quæ ita committebant antediluviani, ut concupiscentias pravas

vas seu originale peccatum molliter foverent, nec ei resistenter. Secundus locus & ipse agit de peccato originis, sed non solo. Nam lues originalis potest Deum impellere, ut nos filios iræ reputer. Ergo non minus ad immitendum diluvium impellere potest. Cæterum nemo nostratum verba illa ita de lue originali intelligenda dixit, ut actuale excludatur. Hæc propositio: *cogitatio cordis humani mala est*, de omnibus pravis cogitationibus effertur. Sed dum istud, à *pueritia*, additur, plane liquet, dari quoque in puerulis cogitationes malas, & prorsus corruptam esse naturam humanam, cujus in prima statim ætate sese exerat malitia. Pergit Liberius: *His accedit, quod Noachus x. 9. ab eis excipitur, quorum peccata Deum exacerbaverant, fuit inquit scriptura, homo justus & perfectus, & cum Deo ambulans: at ab illa labe juxta Theologos nemo immunis est.* Hæc admodum absurda est collectio. Nam Noach nec ab omni peccato actuali immunis fuit, & tamen justus dicitur, scilicet, quod peccata ei non imputarentur. A peccato actuali etiam juxta Liberium, nemo immunis est. *Præterea, inquit, missus est Noachus ad homines Antediluvianos, ut eos ad pœnitentiam hortaretur, pœnitentia autem peccato originis non convenit, quem enim unquam pœnituit, quod sese in matris utero corrumpi fecisset.* Hoc tantundem est, ac si quis sic inferat: medicus ad civitatem mittitur, ut cives sanet. E. nullus civis sanus est. Aut sic: Liberius noctu montem conscendit, ut stellas contempletur. E. omnes stellas contempletur. Sed contempleri non potest omnes stellas. Ergo quædam stellæ non sunt stellæ. Olim talia erant prædicata, qualia permittebantur à suis subjectis, ut taceam, de peccato originis utique dolendum esse, ejus potissimum dominio. Vidit igitur locorum evidentiam Liberius, Mosemque homines

mines omni tēpore & à pueritia malos vocasse agnovit. Hinc non sunt, inquit, nimis urgenda scripturæ phrasæ, sed illis ii præfigendi sunt limites, quos res ipsa, quarum mentio fit, ponunt, alioqui immunera, ut omnes vident, nascetur absurda, quibus Mahumetismo ineptior fiet Religio Christiana. Quam frivola est hæc observatio! Ut omnes vident, petitur ea principium. Nam infantes non esse nocentes ait, quoniam non permittat earum conditio, siquidem innocentes sint. Supponit igitur infantes esse innocentes, qua hypothese jam posita primum scripturæ librum, id est Genesin, accedit, ejusque dicta ita explicat, ut fert præconcepta hypothesis. Scilicet principium cognoscendi vias Dei, in scriptura revelatas, est ratio legentis, qua detorquenda sunt oracula divina, donec is sensus resultet, quem tu inesse velis. Atqui hoc est curvo rectum, normato normam metiri. Nam scriptura, quæ rationem nostram in ordinem redigere debebat, examinatur ad filum rationis, quam scripturæ obtenebratam, mancam, mutilam vocant.

VI. Nostri secundo illud Jobi adducunt: *quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem.* Liberius ait: *obscurissimus est ille Jobi locus, ut vix ac ne vix quidem quid sibi velit certo conijcere possis.* Si ne vix quidem locum intelligit Liberius, qui dicere potest, eum de peccato originis haud exponere? Intelligat locum, & respondebo.

VII. Tertius locus est Davidis: *ecce in iniquitate formatus tum, & in peccato calefecit me mater mea.* Liberius ait, verba sic posse *Deo Deo*: *ex quo natus sum iniquus fui, mater mea dum me sinu suo fovit ac educavit, peccato me inquinavit.* Admittamus hanc paraphrasin tantisper, nihilominus originale peccatum probat. Neque enim infans statim actualibus peccatis sese commaculat, ex quo

ex quo natus est. Ast, dicit, sunt similes phrasæ, in quibus
ea exceptio locum habere nequit. Psal. XXII, 10. 11. Tu
confidere fecisti me ab uberibus matris meæ: super te recubui
ab utero. Tibi innixus sum ab utero. Psal. LXXI, 6. Si
David ab utero matris tantus peccator fuit, non video qui in
Deum confidere potuerit. Si dicant confidentiam non cadere
in infantem ante rationis usum, ideoque hic esse hyperbolem,
sed peccatum originis in infantes cadere ideoque proprie phra-
ses in quibus de peccato agitur sumendas, dum aliæ hyperbo-
licæ sunt; jam ab iis quasi verim quæ tanta sit inter peccatum
& sanctitatem differentia, ut sanctitas cogitationem requirat,
dum peccatum in iis, qui cognitione carent, esse potest. Val-
de fallor, aut nihil huic quæstioni responderi potest, quod ine-
ptum non sit, vel eorum sententiæ contrarium. Resp. Verba
Psalmi commode ita exponi possunt, ut ad providentiam
divinam referantur, hicque sit sensus: sine ope tua si fu-
isset, & singulari providentia, quæ me inde a puero susti-
nuit, recidissem in nihilum. Quod si vero hæc displice-
ant, sensus is erit, Davidi in omni necessitate spem in Deo
fuisse sitam. Ast quid tum respondebimus quæstioni?
Non est difficilis responsio. Nimirum sanctitatem seu fi-
duciam usum rationis requirere, extra dubitationis peri-
culum est. De peccato actuali idem constat. Sed peccati
originalis plane alia idea est. Hinc deinde fit, ut cum san-
ctitas, tum peccatum actuale cogitationem requirant, pec-
catum originis non item. Utcunque igitur hyperbole sit
in illis Ps. XXII, 10. 11. LXXI, 6. non erit tamen Ps. LI, 7.
Si enim esset, aut in augendo aut in minuendo consisteret.
Posterius non esse apparet ex verbis. Neque enim mi-
nuit atque excusat peccata sua, qui se Deum vel in ipso
utero læsisse inquit. Sed nec prius patitur præsens nego-
tium. Qui enim veniam impetraturus est, is non excusat
K
quidem

quidem peccata, ast nec iusto atrociora confitetur. Omnium minime autem mentitur. Mentitus autem esset David, si in utero peccator haud fuisset. Tandem si exagrandum erat peccatum, non fuit reticendus ejus fons, seu originalis labes.

IIIX. Quartus locus est Rom. V, 12. *per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors.* Excipit Liberius: *hic Apostolus non dicit infantes in utero matris peccatores esse, hoc dici intelligo Adamum initium peccandi fecisse & per eum peccatum, quod in mundo non erat, in eum intrasse, & mortem ipsam, quae sine peccato hominibus ignota fuisset.* Non fert hanc expositionem contextus. Nam peccatum Adami erat actuale. Ast Apostolus v. 14. docet, mortem regnasse in eos quoque, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami. Illi vero, qui ad similitudinem Adami non peccarunt, sunt liberi, qui cum mortem sustineant, causam mortis, peccatum scilicet, habeant necesse est.

Porro excipit Liberius: *de infantibus Apostolus nequē quidem; loquitur de iis quae ab Adamo ad Mosē vixere, quibus nulla lex oralis a Deo lata fuerat, ut Adamo, cui interdictus diserte fuerat fructus arboris scientiae, & qui proinde ad similitudinem Adami non peccaverē legem a Deo latam violando.* Resp. loqui Apostolum de illis, qui ab Adamo usque ad Mosē vixere, sed docere simul, inter illos fuisse, qui non peccaverint ad similitudinem transgressionis Adami. Hæc sunt Apostoli verba: *Regnavit mors ab Adamo usque ad Mosē, ETIAM super illos, qui non peccarunt in similitudine transgressionis Adami.* Distinguit igitur illos, qui ab Adamo ad Mosē fuere, in eos, qui peccaverunt ad similitudinem Adami, & alios, qui hoc modo non peccaverunt. Diserte hoc indicat vox *etiam*. Pro-
voco

voco ad usum loquendi. Si quis quatuor filios habeat, quorum nullus pius sit, nemo dicet: *odio prosequitur filios suos, illos etiam, qui pii non sunt.* Planissimum hoc est, atq; adeo infantes illi sunt, qui non peccaverunt ad similitudinem Adami, quum, si per particulam & hoc restringas, ad adultos pertinere hautquaquam possit. Sensus enim tunc foret, infantes quidem peccasse ad similitudinem Adami, sed non adultos, quod est ineptum, fatente Liberio.

Quinto affertur a quibusdam illud Christi *Ioan. III, 6. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Respondet Liberius, se non diffiteri, carnem in scriptura corruptionem denotare, sed hoc loco sumendam esse eam vocem simpliciter pro corpore terreno. *Dominus, inquit, respondet crasse questioni Nicodemi: Quomodo potest homo nasci cum est senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterum intrare & nasci? ait se non agere de natiuitate corporea, qua nemo aptus fieri potest ad intrandum in regnum cælorum etiamsi iteraretur, quia nihil nisi terreni & corporei affert; sed de natiuitate spiritali qua homines in alteram vitam renouantur, & idonei ad possidendum regnum Dei efficiuntur.* Mireris, Socinianos hanc expositionem haud pervidisse, si quid habeat incorrupti. Plane enim heic dissentiunt. *V. Crellius ad h. l. Wolzogenius* tamen sibi non constat *ad h. l.* Si spiritum Sanctum audias, facile apparet fucus Liberii. Nam sic ait *1. Cor. XV, 50. Caro & sanguis regnum Dei hereditare non possunt.* Qui est hujus loci sensus, is est quoque prioris. utrumque enim de introitu in regnum cælorum exponere, clarissime constat ex verbis. Sed hujus loci sensus est, corruptam carnem corruptumque peccatis sanguinem regno cælorum exclusum iri, nisi tollatur corruptio, E. hic

quoque sensus est verborum Christi apud Iohannem. Respondere Christum quæstioni a Nicodemo prolatae non nego. Non apparet autem, qui apte respondisset his verbis: *quod ex carne natum est, caro est*, si eorum sensus hic foret: homine terreno natus est homo terrenus. Id enim satis jam noverat Nicodemus; eratque illud, unde ipsi quæstio subnasceretur, quum non videret, qui corpus aliud corpus secundum ingredi posset. Deinde, si Christus hoc voluisset: hominem, qui corpore constet, alium hominem, itidem corpore constantem, generare, non potuisset Nicodemus v. 9. quærere: *Quomodo hoc fieri potest?* Contorta igitur sunt Christi verba, quorum hic est sensus planissimus, apte cohærens, nulli non legenti semetipsum statim patefaciens: *Nisi quis generetur ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum.* Ratio: *quod natum est ex carne, caro est*, adeoque regeneratione indiget.

Sexto nostri locum *Eph. III, 3.* Erasmus natura filii iræ, veluti invictum laudant. Itaque & huic alienum sensum affingendum existimavit Liberius. Quo minus autem ejus exceptiones examinem, facit D. Christophorus Franckius, qui verba Apostoli *Exercit. IV. Anti-Limborch. c. 11.* adversus Cl. Limborchium haud ita pridem defendit.

Tandem urgent Catholici illud: *mors est peccati stipendium.* Respondet Liberius: *nimirum prima Dei institutione qui illam pœnam peccati esse voluit, sed ejus misericordia, mediante Christo, in pœnam Adamo intentata quæ fuerat, in gratiam fidelium sic conversa est, quia est melioris vitæ ingressus; quanto magis respectu infantium qui nunquam peccaverunt pœna non erit.* Eximia principii petitio. Hunc locum de peccato infantum haud loqui, inde probat Liberius, quia infantes nunquam peccaverint. Est præterea
ingens

ingens detorsio verborum. Apostolus de morte loquitur universim, deque ea docet, quod sit stipendium peccati. Ubi igitur mors est, ibi est peccati stipendium. Ubi est peccati stipendium, ibi est peccatum. Hæc enim sunt ex numero relatorum, ut impossibile sit, dari alicubi stipendium peccati, neque tamen peccatum. Si in infantibus mors est, peccatum ibi esse oportet. Quemadmodum igitur infantibus vita æterna ex gratia obtingit, ita mors ipsis obtingit per modum stipendii peccati. Sic enim Apostolus: *Mors est stipendium peccati, sed gratia Dei est vita æterna.* Nulla hæc distinctio inter adultos & infantes. *Mors ad omnes pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt. Rom. V, 12.*

VI. Postquam ad exceptiones Liberii responsum est, confutanda restat methodus, qua is peccatum propagari opinatur. Equidem, ut, quod verum est, fatear, nescio quid Liberio venerit in mentem, cum de propagatione ista scriberet. Tantum enim abest, eam propagandi peccati methodum esse, ut propagationem ne tantillum quidem attingat. Id docet Liberius, quomodo originale peccatum sese exerat, non unde sit propagatum. Neque enim propagationem disciplinæ explicat, qui docet quomodo disciplinæ habitus sese ostendat actibus. Restat enim etiamnum quæstio: undenam vero habitus illius disciplinæ huic homini obtingit, & quomodo? Hoc omnes pervidebunt, qui hæc Liberii verba legerint: *Peccatum una cum Adamo non desit, sed in omnes, qui peccare potuerunt, homines est propagatum, quod qua ratione factum sit, statim dicam, cum tibi in memoriam revocavero, quod dixi infantes tot sensationibus opprimi, & adeo confusis cogitationibus occupari, ut omne id tempus, quod præcedit rationis usum, pro somno perpetuo sit habendum. Unde*

quamvis variis affectibus abripiantur, non magis peccant, quam cum adultus somniat se malum aliquod, à quo vigilans abhorret, perpetrare. aut cum furiosus morbo commotus aliquid sinistri designat.

Quo autem tempore somnus ille finiat, satis præcise denotare nemo potest, quia paulatim ac sensim excutitur, ab aliis citius, ab aliis serius, prout corpus eorum ac potissimum cerebrum citius vel serius firmatum. Quod cum sit infans bonum à malo recte discernere incipiunt, tum ideis, quas Deus eorum menti ingerit, tum cura parentum, qui tam verbis quam actionibus discrimen illud satis eos docent. Tamen quia ante rationis usum sese affectibus suis permittebant, eum habitum contraxerunt, ut quamvis non ignorent, aut saltem scire possint, id semper licitum non esse, sese ab iis extra rationis ac æquitatis metas rapi patiantur, quod vitium usu indies confirmatur. Itaque quod prius peccatum non erat, quia ab ignorantibus proficiscebatur, fit peccatum, cum incipit à scientibus committi, uti quotidie videmus pueris condonari, quæ in adultis prava censentur crimina.

VII. Futilis est hæc methodus. Nam supponit peccatum originis non dari, unde quomodo peccata actualia in peccatore sese exerant, docet solummodo. Ast de eo non erat quæstio. Neque etiam, si de actualibus peccatis loquatur, methodus nova est, quandoquidem omnes norunt, actibus peccandi contrahi habitum. Atque hoc ante bis mille annos tradiderunt Philosophi.

De eo autem dispiciendum erat, quomodo inclinationem illam ad peccandum unus homo in alterum transfundat. Hoc enim quærunt, qui de peccati propagatione sunt solliciti. Neque enim usus loquendi fert, ut propagari dicatur, quod in subjecto recipitur, in quo est ortum. Quis dicat, Liberium propagare doctrinam, quando ejus discen-

discendi potentia transit ad actum. Tunc propagat doctrinam, quando eam in auditorem transfundit.

Itaque cum Liberius *p. 127.* fateatur, mentem Adami sanctam beatamque fuisse, quæ motus corporis sistere potuerit: & præterea concedat, nostras mentes pronissimas esse ad peccandum, corporisque motibus lubentissime assentiri; quæstio restat, qui hæc ad malum pronitas propagata sit in posteros Adami, unde ea sit, & cui adscribenda. Cum porro Adami mens citra controversiam longe ampliorem accuratioremve rerum divinarum atque humanarum notitiam habuerit, quam nos, quæritur unde carentia illius notitiæ in posteris Adami, unde tenebræ in intellectu nostro?

Si de his quæstionibus constiterit, tum demum de propagatione originalis peccati quadantenus constiterit. Deinde vero disceptandum fuerit an illæ tenebræ, an pronitas illa ad malum, habeat rationem peccati, non jam actualis, sed originalis, de qua ex scriptura constat, peccatum esse, etsi non satis appareat, quomodo sit peccatum. Rationis tum fuerit, pronitatem ad peccata malam dicere, ut bona dicitur pronitas, qua inclinamur ad amorem Dei & proximi, seu ad actus bonos. Rationis fuerit, inclinationem ad mala, seu radicem, unde atrocissima peccata propullulant, malam esse in oculis Dei, siquidem Liberius *p. 165.* ait: *Deus non modo actiones respicit, sed etiam inclinationes.*

Caput VII.

Animadversiones ad epistolam VII.

I. Epi-



I.

Epistola VII. de institutionis theologicæ ordine ac methodo exponit. Ast quoniam hæc tractatio Theologis convenit, quorum est alios docere ac commonstrare viam, qua sit incidendum: decet me eam præterire. Id tamen monere licebit, methodum inanem esse, quod ratio Liberii & sociorum in Theologia Liberiana sit causa assensus, seu, ut Scholastici loquuntur, *ratio ultima assentiendi. Solide statuendum est*, inquit noster p. 197. *quicquid non convenit cum recta ratione, verum esse non posse.* Scilicet nihil in tota salutis nostræ œconomia admittit, quod ejus rationem transcendat. At Joannes Crellius ad Coloss. II. inquit: *Philosophia non solum est imperfecta, sed etiam in multis rebus est erronea.* Si ita de Philosophia judicant Sociniani, multo magis idem dicendum est de ratione unius alteriusve hominis. Nec male. Ineptum enim videtur ac nugatorium, scripturam examinare ad ductum rationis, nec tamen dicere, quænam illa sit ratio, ubi & cujus sit. Ratio de qua loquimur non est, nisi in hominibus. Hi autem multum dissentiunt, ita, ut hic sibi rem optime concipere queat, cujus alter ideam claram efformare non potest, & quisque tamen sibi commodius sapere videtur. Hinc est, quod ne quidem in societate civili suo arbitrio relinquuntur cives, sed ad leges restringuntur: quod nisi fieret, hic licitum diceret, quod alius pro illicito haberet, hic civitati profuturum crederet, quod alter pro noxio reputaret. Prorsus ita se res habet in religionis negotio. Pontificii dicent suam rationem scripturas recte interpretari, quandoquidem probabile sit, Christum sectam, quæ ipsi placeat magnis beneficiis mastare, eidem conciliare splendorem, permittere, ut dissentientes, ac, ut ipsi opinantur, Christum injuria

injuriam afficientes jugulet ac persequatur. Utcumque igitur clarissima dicta de pusillo afflictoque grege proferas, examinabuntur singula ad illud rationis Pontificiorum principium, quia solide statuendum est, quicquid non convenit cum ratione, verum esse non posse. Neque enim Romanensium rationi congruum est, quod *Tertullianus de Idolol. c. VIII.* inquit: *Christus gloriam seculi & sibi & suis aliena esse judicavit.* Porro Anabaptistæ dicent, rationi sanæ conveniens esse, quicquid illorum cœtu de magistratu politico fuerit statutum, atque adeo bellum omnium contra omnes exorietur, ac scriptura, quæ nobis ideo communicata est, ut ejus sententiæ adhærescere debeamus, captivato sub fidem Christi judicio, erit perpetua litium causa.

II. Non est igitur laudanda hæc methodus, quæ, si forte in statu integritatis inepta haud fuisset ad consequendam de Deo ejusve cultu notitiam, hodie tamen nullius est momenti. Aut enim de ratione sana in se loquitur, aut de ratione, ut est communiter penes homines. Priori modo impossibilis est methodus, quoniam certum est, non omnes, quibus eam præscripsit, in omnibus recta ratione gaudere. Ubinam est illa ratio, ubi ille irretrahibilis ac infallibilis doctor, tali ratione superbiens? Si Liberius centies dicat, se suosque discipulos omnes in omnibus recte judicare, alii, nec sane pauci, quibus caput justo loco positum est, millies id negabunt. Unde si hanc methodum omnes doctores sequantur, post centum annos forte nullum amplius habituri sumus Theologum, quia nemo discipulos consequetur. Quum enim quisque doctorum suam rationem pro sana venditet, cui infiniti alii, non minus sani, ut sibi videntur, contradicunt, quo se vertat, nesciet discipulus. Et nihilominus supponendum ipsi est, eum doctorem sequendum, qui nunquam erret, sed

L

rati-

ratione omni ex parte, sana sit præditus. Mittet igitur Theologiam, quum lites illas componere non possit, quandoquidem Theologiam nondum intelligit, nec se tanti facit, ut parti alicui assensum præbiturus simul innuat, se sapientio-rem esse altera Doctorem parte, quæ illum Doctorem, quem sequitur discens, spernit ac postulat absurditatum.

Si vero de ratione loquitur, ut communiter pens homines est, hoc dicit, lumen scripturæ splendidissimum illustrari debere à tenebris rationis humanæ: infallibilem veritatem examinandam esse ad regulam fallibilem. Ita enim de intellectu scribit p. 123. *Nobis conscii sumus, nos sepe temeraria judicia ferre, ac priusquam rem aliquam distinde noverimus, voluntatem nostram eam amplius considerare nolle & in confusa ejus cognitione, quasi clara esset, acquiescere, unde innumeri errores oriuntur. Ita sepe vera esse credimus, quæ falsa sunt, sed non modo circa verum erramus, verum etiam, quod est majoris momenti, circa bonum; bona existimamus, quæ minime sunt bona, eaque amamus, quæ à nobis amari non debent, vel nimio amore complectimur, quæ tantopere amare nefas est.* Quæ heic de voluntate dicit Liberius, de intellectu intelligenda sunt. Quod enim veteres Philosophi intellectus munus dicunt, id ipse voluntati adscribit. *Velle, ait, p. 120. est judicare, seu negare ac affirmare.* Concedit igitur, judicium nostrum esse admodum fallax, quod nihilominus rationem ultimam assentiendi constituit in iis, quæ ad æternam animæ salutem attinent. Tuta methodus.

Caput IX,

Animadversiones ad Epistolam IX.

I, De

DE natura miraculi nobis heic est disquirendum. *Mirabile* vocant scholastici, opus insolitum artis aut naturæ, & dicitur Thomæ *miraculum quoad nos*. Talia occurrunt apud *Frommannum, Bodinum, Delvionem, Wierum, Pomponatium, Fincelium, Lemnium, Agrippam*, alios: *Miraculum* vero in Scholis est effectus rarus & insolutus, qui fit insolito modo præter ordinem totius naturæ creatæ. Monent 1. fieri debere præter ordinem *totius naturæ creatæ*, nec sufficere ad miraculum, si quid repugnet particulari naturæ: alioqui miraculum fore, si quis lapidem projiciat sursum. Monent 2. effectum debere esse rarus & insolitum, nec miraculum esse, si quid fiat quidem præter ordinem totius naturæ creatæ, sed sæpius. Hinc ajunt, opera & effectus gratiæ, conversionem, sanctificationem, non esse miracula, etsi contingant præter ordinem totius naturæ creatæ, quum sæpius fiant. Hæc est scholastica de miraculis doctrina.

II. *Joannes Clericus Pneumatolog. P. III. c. IIX. de miraculo* sic ait: *Oportet 1. vires humanas superet, 2. præter constantem naturæ rerum ordinem sit. 3. Si quod, in cuiuspiam gratiam, deducendum ex edito miraculo consecrarium est, id ab eo, cujus potentia, aut in cuius gratiam sit prædici, aut saltem eo tempore, quo eo indiget, evenire necesse est.* Addit deinde, non solum à Deo, sed & ab angelis cum bonis tum malis miracula patrari, Deo aut jubente, aut peculiaribus de causis permittente. Hoc modo miraculum foret missio Christi, facta à Deo Patre, si vel maxime pro nudo eum homine habeas. Nam ea 1. vires humanas superat. 2. præter constantem naturæ rerum ordinem fiebat. 3. pridem à Deo prædicta erat. Sed non fert hanc locutionem usus loquendi, in *Liberiaga* præcipue scholæ receptrus.

III. Spinoza l. c. VI. ait, miraculum nihil aliud significare, quam opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solite explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat. Ita de miraculis ipsi philosophandum fuit, propter hypothesin, quam tuetur: nihil contra naturam contingere, sed ipsam eternum, fixum & immutabilem ordinem servare.

IV. Thomas Hobbes in Leviathan c. XXXVII. sic scribit: ut intelligatur, quid sit miraculum, observandum est, quenam opera ea sint, quae homines admirantur. Sunt autem, quae faciunt, ut opus aliquod admirentur, duae tantum res. Altera si sit rarum, cujus simile raro aut nunquam ante factum viderant; altera, si postquam factum est, concipere non possunt per causas naturales factum esse, sed solummodo per operationem Dei immediatam. Nam si facti causus naturales intelligimus, utcunque opus rarum fuerit, vel si factum simile saepe viderimus, etsi causam ejus naturalem non concipimus, non amplius admiramur, nec miraculum appellamus. Ad naturam miraculi etiam pertinet, ut eo sine factum sit, ut nunciis, ministris & Prophetis Dei fides apud populum habeatur. His praemissis infert: miraculum esse opus Dei (praeter operationem naturae in creatione ordinatam) eo sine factum, ut cognoscerent electi nuncium a Deo extraordinarium ad eos salutis eorum causa missum esse.

V. Liberius hac epistola diserte statuit, miracula a Diabolo fieri posse, & portenta illa aegyptiorum magorum non illusiones sed miracula fuisse, nullamque esse notam, qua legitima miracula a falsis dignoscantur, praeter veram doctrinam. Conceptum vero miraculi non assignat, quod factum vellem. Cum Spinoza autem hic rursus consentit, qui l. c. p. 73. sic ait: Antequam ad III. pergam, libet prius hanc nostram sententiam, nempe, quod ex miraculis Deum non possumus cognoscere, auctoritate scripturae confirmare; & quam-

Et quamvis scriptura hoc nullibi aperte doceat; facile tamen ex ipsa potest concludi, imprimis ex eo, quod Moses (Deut. cap. 13.) precipit, ut Prophetam seductorem, quamvis faciat miracula, mortis tamen damnet: Sic enim ait: & quamvis contigerit signum, & portentum, quod tibi prædixit, &c. noli assentire verbis ejus Prophetæ &c. quia Dominus vester Deus vos tentat &c. Propheta igitur ille mortis damnetur. Ex quibus clare sequitur, miracula a falsis etiam Prophetis posse fieri, Et homines, nisi vera Dei cognitione Et amore probe sint muniti, æque facile ex miraculis falsos Deos, ac verum posse amplecti. Nam addit: quoniam Jehova vester Deus vos tentat, ut sciat, num eum amatis integro corde vestro & animo vestro.

VI. Mihi placet definitio Hobbesii, quæ ab illa scholasticorum vix quicquam differt. Exposituri enim miraculi ideam, aperte addunt, fieri illud, ut legati Numinis doctrinæ suæ divinitatem demonstrent.

VII. Si nunc ad scripturam convertamur, non opus erit subtili disceptatione, ut probemus, solum Deum miracula efficere posse. Id enim ibi totidem verbis docetur. Ps. LXXII, 18. *Benedictus Jehovah Deus, Deus Israël: faciens תִּנְיָנוּ miracula solus.* Ps. CXXXVI, 4. *Confitemini Jehovah, qui fecit miracula magna solus.* Hæc tam evidentiæ sunt, ut credam, Liberium ea haud expendisse, cum scriberet, vera miracula a Diabolo fieri posse. p. 257. Neque enim ullus locus deinceps a detorsionibus tutus videbitur, si hi non sunt.

IX. Sed videndum nobis est, quomodo demonstret Liberius, magorum Ægyptiorum portenta fuisse miracula proprie dicta. Moses, ait, eodem modo de præstigiis illis loquitur, ac de suis miraculis. Sumam transmutationem virgarum in serpentes, quam ita narrat Moses Exod. VII, 10. sq. *Et projecit Aharon virgam suam cum Pharaone Et serpens*

ejus, & versa est in Draconem, & vocavit Pharao sapientes
& magos, & fecerunt etiam ipsi magi Ægypti idem incan-
tationibus suis, projecerunt enim quisque virgam suam &
versa fuerunt in Dracones, sed voravit virga Abaronis
eorum virgas.

Sed respondeo, concedere scripturam, quod Diabo-
lus efficiat אמות & מופתים nusquam autem dicere, quod
faciat נפלאות sed id diserte negare citatis Psalmis. Unde
has magorum præstigias ad אמות aut מופתים referendas
esse 1. inde liquet, quod נפלאות miracula soli Deo tribuat
Spiritus Sanctus. 2. quod Deus nunquam assistat falsis do-
ctoribus efficienter ad opprimendam doctrinam veram,
qualis erat Mosaica: adititisset autem, si virgas in serpen-
tes commutasset, quod opus infinitæ potentiæ fuisse est
in propatulo. 3. quod virga Aharonis virgam magorum
devorasse dicitur, non factura, si a Deo producta fuisset ad
indurandum cor Pharaonis. Inde enim satis apparebat,
fortiorem esse vim Dei Aharonis, quam sit illius, cui ser-
viebant illusores Ægyptiaci. Etsi igitur de utrorumque
virgis dicat Moses, eas in serpentes fuisse conversas, obser-
vandum tamen est loquendi usus, quo talia sunt prædicata,
qualia esse permittuntur a suis subjectis.

IX. Atque hæc tam evidentia certa que sunt, ut Li-
berius, utcunque in vulgatam sententiam multum invehat,
eam ipsemet agnovisse habeat necessum p. 255. Ut id
dicam, quod censeo, non puto diabolum ullas vires habere,
per se aliquid producendi, sed quando aliquid facit, id ipsius
viribus tribuendum non esse, sed voluntati Dei qui vult id
fieri, quæ voluntas necessario effectum sortitur. Diabolus
Spiritus est, cujus tota actio in volendo sita est; cum ea au-
tem volitione nulla est necessaria connexio effectui, nec ex eo
quod velit, sequitur rem esse debere; ergo per se quicquam,
proprie loquendo, ut & ceteri omnes Spiritus, facere nequit.

Sed

*Sed aliquid facere dicitur, cum Deus, ex cuius voluntate omnia pendent, volente diabolo id vult fieri, atque ita effectum est proprie voluntatis Dei id quod contingit, non Diaboli. Miracula igitur Magorum a Deo peculiari economia ut Pharaonem induraret, ad Diaboli voluntatem facta sunt, siue, ut melius loquar, Deus Diaboli voluntatem perfici voluit. Non potuisset clarius sententiam nostram profiteri, quandoquidem totidem verbis ait, miracula Diaboli viribus tribuenda non esse, sed voluntati Dei, cui sit necessaria cum effectu connexio, secus ac res se circa Diaboli voluntatem habet. Mireris tamen, Liberium miraculorum Ægyptiorum naturam intimius perspectam habuisse, atque habebant Magi ipsimet. Sane magi ignorarunt, effectus suos Deo adscribendos esse, sed crediderunt eos a se proficisci. Hinc cum Moses pediculos effecisset, quod ipsi non poterant, fatebantur coram Pharaone, Dei digito, seu virtute, miracula Mosis fieri, quod nullatenus dixisset, si cum Liberio credidissent, opera sua proprie effectus esse ipsius Dei. Quanti autem præterea hypothesis facienda sit, qua Diabolus nihil per se efficere dicitur, sed quicquid agit, proprius effectus Dei vocatur, id æstument, qui Deum existere credunt. Sic enim Deus omnium blasphemiarum, omnium effectuum Diaboli causa proprie dicta erit, quam doctrinam Numen, credo, sat graviter puni-
turum est.*

X. Sed hæc circa sententiæ Liberianæ probationem monita sunt. Nunc verbo respondeamus ad ea, quibus vulgarem sententiam convulsam ivit. *Quæro, inquit, p. 249. an præstigia in eo sita fuerint, ut spectatorum phantasia eodem modo a Diabolo commoveretur, ac solet commoveri cum revera serpens est ante oculos, unde spectatores in errorem eodem modo lapsi fuerint ac qui febre ardente correpti varia sibi cernere videntur, quæ nunquam sunt;*

sunt: an vero lux, cuius ope visio fit, sit a virgīs eodem modo ad oculos reflexa, ac reflectitur a serpentibus, unde Spectatores pro virgīs serpentes viderint. Utrumque modum impossibilem putat, aut miraculosum. Ego vero ita existimo, lusum fuisse in objecto: quod nihil habet difficultatis. Scilicet efformari potuit corpus ex aëre, quod veri serpentis speciem præbuerit, quem apparitionis angelicæ modum esse plerique autumant. Potuerunt etiam virgæ celeriter remotæ (quod hodie exiguæ artis est) veri serpentes substitui. Itaque non est necesse, ut in medio ponamus fraudem, ac aërem qualitate quadam infectum credamus, qua species per medium delatæ ita modificentur, ut objectum aliter, quam in rei veritate est, repræsentent. Omnium minime vero necessum est, ut dicamus, organa sensoria peculiariter fuisse affecta. Fieri potest, ut spiritus & humores oculi, rerumque imagines ac species, quæ in phantasia asservantur, certa ratione ordinentur ac disponantur, ut per illas Phantasiæ esse aut fieri appareant, quod nec sunt, nec fiunt. Sed huc delabi non est necesse. Haud timeo igitur difficultatem, cuius *Liberius p. 250.* meminit: *Faciliusne putas in multorum oculos vel phantasiam, vel quo alio velis modo in eos agere, quam virgæ vel aquæ materiam alio modo disponere? Quanto est facilius aquæ sanguinis dispositionem indere, quam innumerorum hominum oculos fallere? Crede mihi longe majus esset Ægyptiorum miraculum quam Mosis, si ita res se haberet ut dicis, nam pro uno Mosis miraculo innumera fecissent magi, si quidem quot erant homines, tot facienda fuere.* Innumerorum hominum oculos fallere, miserabile miraculum est, quod circulatorum eorumve pueri quotidie patrunt. Materiam virgæ alio modo disponere non idem est ac facere serpentem. Unde serpentis anima? Disponas, quæso, mensæ materiam alio modo, ut animam nanciscatur

ciscatur & ambulet. Animam aut Deus effecit, aut magi
& consequenter Diabolus. Effecit Deus? Effecit mira-
culum. Effecerunt magi & Diabolus? effecit Deus juxta
Liberium. Nam ut §. IX. aiebat, Diabolus, quando ser-
pentem facit, id ipsius viribus tribuendum non est, sed
voluntati Dei.

XI. Quod ad ultimam Liberii hypothesin spectat,
qua affirmatur, nullam esse notam, qua legitima miracula
a falsis dignoscantur, præter veram doctrinam: illi ego
non multum adversabor. Video tamen ipsa miracula
ad probandam veram doctrinam a Christo sæpenumero
adhibita. In hanc rem sic scribit acutissimus *Ioannes Mu-
seus Introd. P. II. c. V. Sect. II. Miracula recte habentur
in signis, ex quibus, qui ea patrant, divina virtute illa pa-
trare, atque a Deo missos esse, & doctrinam, quam ejus no-
mine tradunt, & velut divinam mortalibus voce aut scri-
ptis commendant, vere a Deo accepisse, nobis innotescat. Deus
enim non adfuit Pseudoprophetis & malitiosis animarum se-
ductoribus, præter ordinem nature create universæ modo
prorsus insolito per eos operando, miraculaque patrando, ad
fallendos hominum animos, iisque persuadendum, se misisse
illos ad docendum, quos tamen non miserit. Hoc enim ejus
veracitati & bonitati infinitæ e diametro repugnat. Quam-
obrem etiam Deus Moſen, extra ordinem, cum ad populum
Israëliticum, tum ad Pharaonem, Ægyptiorum Regem, mit-
tendum, miraculis prius instruebat, quibus utrisque divinam
suam missionem probaret, verbisque suis, quæ Dei nomine ad
illos locuturus esset, fidem conciliaret; quam eum mitteret,
Exod. IV. 3. 6. 30. c. VII. 9. sqq. & Johannis Baptiste disci-
pulos, qui ad Christum venerant quæsitum, num patribus
promissus & hucusque expectatus Messias ipse esset, remittebat
Christus simpliciter ad edita a se miracula, velut ad testes suæ
missionis.*

M

missio-

missionis diuinae, omni exceptione maiores: Renunciate, in-
 quiens, Iohanni ea, quae auditis & videtis: cæci visum re-
 cipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi au-
 diunt, mortui excitantur, & pauperes letum accipiunt E-
 uangelii nuncium *Matth. XI.* Non est existimandum,
 quasi Musæus argumentum a miraculis sumtum pro ana-
 lytico habuerit: quod is inter motiva credibilitatis ipse-
 met annumerat. Sed tamen miracula Christi testes omni
 exceptione maiores vocat, ideo, ut opinor, quod eorum
 tantus tamque insignis cumulus esset, a Prophetis prædi-
 ctus: quod Ioannes esset איש מליה cuius in his talibus
 non falleret iudicium: quod denique prædicatio Evan-
 gelii expresse adjiceretur, reliquis omnibus additura,
 pondus.

Caput IX.

Ad

Epistolam IX.

I.

Hæc epistola vocem $\mu\pi\pi\rho\epsilon\upsilon\sigma\omicron\delta\gamma$ interpretatur,
 qua usus est Paulus I. Cor. XIII, 4. $\eta\ \alpha\gamma\alpha\mu\iota$,
 ait, $\delta\ \mu\pi\pi\rho\epsilon\upsilon\sigma\omicron\delta\gamma$. Diu quæsitus fuit genuinus
 vocabuli significatus, &, ut credo, pri-
 dem inventus, verum ita, ut non constet quinam sit.
 Fortassis non inepte quis ageret, si proprietates amoris, à
 Moralistis commemoratas, vocibus Paulinis efferret, quo-
 rum indubiã sit significatio, & illam deinceps, quæ residua
 esset, hæc voce indigitaret. Nullus tunc commodior si-
 gnifi-

gnificatus videbatur, quam ille, quo jactare seu ostentare notat. *V. Vir Amplissimus, D. Philippus Ludovicus Böhmerus*, Moralium in hac Acad. Professor P. O. celeberrimus, Evergeta meus summopere devenerandus, eximia de legibus charitatis dissertatione §. II. IX. IX.

II. Liberius in ea est sententia, interpretes circa vocem $\pi\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\tau\alpha\iota$ nihil afferre, quod satisfaciat: ipse autem veram vocis illius significationem reperisse sibi videtur. Profert igitur novam, ut existimat, sententiam: *Quid obstat*, inquit, *quo minus hæc & $\pi\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\tau\alpha\iota$ vertamus*, non est jactabunda? *vel sese non jactat? Hæc est, nisi fallor, vocis illius genuina significatione.*

III. Non impugno hanc sententiam, sed novam esse nego. Itaque non opuserat illa exultatione: *cum locum illum legerem, in ea sententia sui, interpretes nihil afferre, quod satisfaciat, sed postquam rem attente consideravi, veram vocis illius significationem reperisse mihi visus sum.* Nam si hæc est genuina illius vocis significatione, *Fesselius* noster *L. IV. c. X. Advers. Sacror.* eam jam reperit, cujus hæc sunt verba: *Verbum $\pi\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\tau\alpha\iota$, quo utitur gentium Apostolus I. Cor. XIII. 4 $\eta\ \alpha\gamma\alpha\pi\eta$, inquit, & $\pi\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\tau\alpha\iota$ raro admodum in Scriptoribus Grecis legitur: ideoque varie à variis exponitur. Sed revera est jactare & ostentare se, & inanis gloriolæ fructum ex re aliqua aucupari.* Ante *Fesselium Strigelius Hypomnem. ad h. l.* nonnisi tantundem esse ac ostentare se & quasi juveniliter jactare. Imo hæc quoque *Gregorii Nazianzeni* mens fuit, quando per vocem $\mu\eta\ \pi\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\tau\alpha\iota$ charitatem à superbia vacuum demonstrari docet. Nescio tamen, an satis probari possit, eandem fuisse Apostoli mentem: quin credo potius, id nunquam definitum iri. Multas enim vocis significationes afferunt,

M 2

quarum

quarum plerasque admittit contextus. *Clemens Alexandrinus Pædagog. L. III, c. I.* ait de hoc loco: *περπερία ὁ καλλωπισμὸς, ἀβελήτης καὶ ἀχρηστότης ἔχων ἔμφασιν. Perperia est cultus, qui superfluitatem & inutilitatem aperte indicat.* Hanc expositionem fert textus. Etiam *Basilii* ita interpretatur, ut sit superfluo inutilique corporis ornatu gaudere. *πᾶν*, inquit, *ὁ μὴ ἀφ' ἑσῆας ἀλλὰ ἀφ' καλλωπισμὸν ὄψα λαμβάνεται, περπερίας ἔχει κατηγορίας.* *V. Henrici Stephani Appendix ad Thesaur. Gr. L. ad h. voc.*

IV. Quidam notare ajunt *petulantem esse*. Deducunt hoc à fratribus nomine proprio *perperi* vocatis, à quorum incredibili petulantia protervis omnibus nomen *perperorum* adhæserit. Ita visum est Erasmo. Legi in hanc rem meretur *Balthasar Stolbergius Tr. de Solæcismis. N. T. tributis p. 129.* Si aliorum testimoniis probari possset, procaces *perperorum* nomine venisse, nondum tamen de verbo *περπερία* constaret. Alii reddunt *perperam agere*. Ita *Fridericus Sylburgius ad l. c. Clementis* & in finiti alii. Sed ut dixi, nunquam versionem allatum iri arbitror, quam approbare teneantur, qui aliter sentiunt. Unde non agam de hoc verbo prolixius. Id tamen certum est, jactantiam in sequentibus Apostoli verbis commodius ab amoris indole removeri, nec adeo culpandos, qui eam esse vocis *περπερία* significationem negant. Locus Ciceronis nihil probat, nisi vocem Græcam esse, quam is vertere haud fit ausus.

Caput X.

Ad

Epistolam X.

In hac

IN hac epistola agitur de eo, quid sit κεφαλὴ βιβλίου, in quo *Hebr. X, 7.* de Christo scriptum esse docetur. Bonum quendam virum ridet Liberius, qui κεφαλὴ βιβλίου explicaverat *initium Geneseos*. Defendat hanc expositionem, qui eam protrusit. Fuerit tamen fortassis multorum veterum, quorum mentes divino lumine abunde collustratas novimus, nec propterea deridendi erunt. Sane etsi quidam modernorum criticorum in his talibus scripturæ literam multo accuratius intelligant, quam veteris Ecclesiæ Præsules: certum tamen est, sterilem sæpe hanc notitiam videri, nec penetrantem illam ac divinissimam virtutem, quæ verbo divino juncta est, doctas has ac fastu doctrinæ suæ sibi placentes animas æque afficere, atque affectit sanctos illos viros, mundana accuratatione destitutos, sed cœlesti splendore radiantem. Non dixerim hos *fatuos oratores*, si vel millies κεφαλὴ βιβλίου *principium Geneseos* interpretentur, intentione non mala. Cæterum ne heic quidem novi quicquam attulit Liberius. Volumen libri esse ipsum librum scripturæ, & κεφαλὴ idem esse ac Hebræorum *הַתּוֹרָה* pridem observatum est Francisco Junio, Estio, Pareo, Gerharo, Diodato, aliis. Est tamen peculiaris sententia *Sebastiani Schmidii ad h. l.* Qui κεφαλὴ *initium* reddunt, genuinam vocis significationem non ignorant, quandoquidem & *initium* notat, &, juxta Suidam, εἰλημα, *involucrum integumentum*. Sed heic *Pj XL.* evolvendus erat, qui utique non patitur priorem versionem. Neque enim *הַתּוֹרָה* *initium* notat. Non video tamen, qui tanti clamores obtantillam rem excitandi fuerint, quum & Apostolos sæpe LXX. secutos esse constet. *Cum de iis* (qui κεφαλὴ primordium reddunt) cogito, ait Liberius, *vix mei*

Gentiliumve. Sed quod de Baptismo & sacra Coena affer-
tur, non est mihi probabile. Legendus in hanc rem est
Ioannes Owenus L. V. de Natur. Ver. Theol. Digresf. V.
an consuetudines, preces, aut observationes ullas Iudaicas in
Ecclesiis Evangelicis retinendas, instituerit Dominus noster
Iesus Christus. Rationem negationis superius attuli, quam
si inde rejiciendam putes, quod Gentilium quoque fuerit
quidam baptismus, id sane non nego, quandoquidem post
Tertullianum & veteres multos annotatum est *Huetio c.l.*
p. 271. Pfannero p. 347. verum asseverare non vereor,
paucissimarum civitatum fuisse, paucissimarum inquam, &
ad Theologiam πολιτικὴν spectasse, infinitis modis varian-
tem: atque hinc eo hautquaquam respexisse Christum,
quum baptismi adorandum Sacramentum institueret.
Non refragabor aliter sentientibus, si modo me ferant,
qui sciam veram eximique usus esse meam sententiam,
præcipue si cum Socinianis Liberianisque
alicui sit decertandum.

F I N I S



XI, A.



XI, A.

